inuestigatione: & hæc prima ex fabulis vtilitas progignetur, inuestigare nempe, nec segnem, sed exercitatum intellectum habere. Diuinas itaque fabulas esse ex illis, qui eas vsurparunt, explicatu non admodum difficile est: ex Poëtis etenim, numine afflati; & ex Philosophis, optimi quique; & qui sacra ac cœremonias diuulgarunt; Dij etiam ipsi in fundendis oraculis fabulis vsi sunt. Cur verò fabulæ diuinæ sint, Philosophi est inquirere. Cùm igitur omnia, quæ sunt, similitudine delectantur, dissimilitudinem auersantur, de Dijs sermones, Dijs quàm simillimos esse necesse erat: vt tanta maiestate digni fierent, redderentque enunciantibus propitios Deos: quod nonnisi fabulis comparari potuit. Deos ergo ipsos secundùm fandum, infandumque, occultum, ac patens, nec non doctum, & ignoratum fabulæ, & Deorum bonitatem imitantur. quemadmodum enim Dij, quæ ex sensilibus bona proueniunt, omnibus; quæ verò ex intellectualibus, prudentibus impertiti sunt; sic fabulæ Deos quidem esse omnibus diuulgant; at quinam illi sint, & quales, illis tantùm, qui mysterium capere possunt. Operationes quoque æmulantur Deorum. Licet enim & Mundum hunc fabulam nuncupare; cùm in eo corpora, resque conspiciantur, animi, mentesque absconditæ lateant. Præterea, ad veritatem de Dijs vniuersos informare, in insipientibus, cùm ad eam addiscendam inepti sint, contemptum, in studiosis segnitiem parit: at fabulis veritatem occultare, illos, ne contemnant, prohibet; hos, vt philosophentur, compellit. Sed quamobrem adulteria, furta, genitorum vincula, & reliqua improbitatis facinora fabulis complexi sunt? neque hoc indignum admiratione.

vt, quæ apparet absurditate, statim animus sermones inuolucra esse existimans, veritatem ex ijs, quæ silentio inuoluenda sunt, esse intelligat.



CLAS-

CLASSIS IV.
CABALA HEBRAEORVM,

ID EST,

De Allegorica Hebræorum veterum Sapientia, Cabalæ Aegyptiacæ & hieroglyphicæ parallela, qua noui ad hieroglyphicæ disciplinæ expositionem fontes aperiuntur, & superstitiosæ doctrinæ radices indicantur, & conuelluntur.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

BERNARDO
S. R. I. COMITI DE MARTINITZ,

S. C. Maiestatis Consiliario, & Camerario intimo, nec non magno Regni Bohemiæ Burggrauio,

DOMINO MEO COLENDISSIMO.

VERERER sanè, S. R. I. Comes Excellentissime, *ne communes humanitatis gratitudinisq; leges longè transgederer, si quslemcunque studiorum meorum partem Tibi non deferrem, quem eorundem semper & fautorem & promotorem expertus sum prorsus studiosissimum. Dum itaque Magni Cæsaris, vt nôsti, iussu difficilem huius Ægyptiaci operis aleam subirem, diu sanè animo anceps perplexusq; hæsi, cuinam in tanta argumentorum varietate, quali præsens opus refertum spectatur, meam de Hebræorum Cabala Diatriben potissimum inscriberem.* Tu *tandem*, Vir magne, *occurristi, quem vti abstrusiorus huiusmodi doctrinæ penetralia iam dudum penitiùs, altiùsq; subiisse noram; ita de arcanis quoque, quæ expositurus sum, mysterijs solidiùs firmiusq; iudicium dare posse confidebam. Accipe itaque hanc veluti perpetuam quandam mei in te amoris & beneuolentiæ tesseram. Quòd si studium hoc meum Tuo sanè limatissimo iudicio non vndequaque responderit; non tam conatus, quàm mei in Te affectus magnitudinem ratam habeas. Vale.*

CABALA HEBRAEORVM.

Clemens Alex. lib. 6. Stromat.

Εἰσὶ γὰρ τὰ τῶν Ἑβραίων μυστήρια ὁμοιότατα τοῖς μυστηρίοις τῶν Αἰγυπτίων.
Sunt enim Hebræorum mysteria, simillima mysteriis Ægyptiorum.

PRAEFATIO.

IN Hebræorum Ecclesia fuisse doctrinam quandam de Deo, diuinisq; nominibus, de Messia humani generis Redemptore, de Angelis & Dæmonibus, de admirandis, quæ in hac mundana machina elucescunt, diuinæ clementiæ & bonitatis operibus, à protoplasto Adamo oretenus filijs suis traditam, & in totam deinde successiuam posteritatem diffusam propagatamque, in I I. Classe fusè ostendimus. Quod si quis præsumptuosius negare ausus fuerit, is & SS. Patrum consensui, occultisque diuinæ prouidentiæ semitis pari temeritate se contradicturum nouerit. Qualis tamen illa fuerit, vti in tam inaccesse antiquitatis tenebris occultum iacet, ita difficile quoque est, ad veram eius rationem, notionemque determinandam, pertingere. Quantum tamen sagaci mentis scrutinio inuestigare licuit, & quantum ex Authorum Veterum monumentis, singula cum singulis combinando, eruere potui, puto, imò sine hæsitatione affirmo, aliam eam non fuisse, nisi illam doctrinam Mosaicam, quam oretenus succedentibus sibi Iudicibus traditam, Hebræorum Theologi Cabalam, id est, acceptionem vocant, atque insignibus fœcundam sacramentis, Ægyptiorum (teste Clemente Alex.) mysterijs haud absimilibus astruunt. Siquidem curiosissimos Ægyptiorum, Chaldæorumq; Mystas primorum Patriarcharum consuetudine vsos, multa eorundem in sua penuria traduxisse, is solus ignorare poterit, qui mysteriorum hieroglyphicorum cum Cabalicis affinitatem insignem non perspexerit. Quia tamen nihil tam sanctum, nihil tam diuinum est, quod non superstitiosorum hominum temeritate successu temporum contaminetur; dum quisque pro arbitrio suo, & vertiginosi cerebri libitu, diuinos arcanosque in sacrosancta Scriptura latentes sensus explicare, corrigere, applicare, atque ad illegitimos vsus torquere satagit; factum est, vt & dicta Cabala, perfidorum Rabbinorum nequitiâ, & intolerabili impostura, omnium damnatarum artium Officina, & vnicum nefandorum dogmatum penuarium euaserit. Vnde quod in libris Machabæorum legitur de impijs Gentilium machinationibus, qui olim ex libris sacris simulachrorum suorum similitudines scrutabantur; id nunc de Rabbinis, Cabalistis, Thalmudistisque asseri posse videtur. Hi enim diuinâ lege abutentes, hunc vnicum præ oculis scopum habere videntur, vt per puncta, apices, immutationes, Arithmeticas supputationes, Gametrica figmenta, metatheses litterarum, acrostychides, & pessimè concinnata anagrammata, arcana Theologiæ sacramenta in errorum materiam, & concatenatas erronearum artium abyssos cum extrema animarum ruina pertrahant. Quam quidem Cabalam non tantùm prohibitam, sed & meritò esse, tanquam bonis moribus, & laudabilibus Ecclesiæ institutis è diametro repugnantem, iam diudum proscriptam, & à summis Pontificibus eliminatam asseru,

asseru, vti ex celeberrima Bulla Clementis VIII. fel. recordationis anno 1593. contra huiusmodi Nouatores, bonorumq; morum euersores edita patet, vbi summus Pontifex, summâ verborum vi, efficacia, & exaggeratione, censurarumque ecclesiasticarum minis, eandem mirum in modum exagitat, omnesq; qui damnosa huiusmodi opera secum, non obtenta licentia, tenent, aut quæ in ijsdem continentur, fidem adhibent, sacræ Inquisitionis tribunali subijcit; quam proinde Bullam omnes relegant, & seriò expendant, consulo, vti & ea, quæ in Catalogo librorum prohibitorum de regulis contra huiusmodi vsurpantes procedendi præscriptis, amplè describuntur. Cùm itaque, si vnquam, certè hoc seculo huiusmodi suspectarum artium maleferiatæ disciplinæ vigeant, & nescio qui præposterus curiosorum hominum periculosam hanc & plenam erroribus doctrinam affectantium pectora pruritus possideat, agitetq;, dum Dæmonis persuasione perciti, nescio quid altum, sublime, mirificum, atque adeo prorsus diuinum illi subesse sibi persuadent; mearum partium esse ratus sum, virulentum hunc ingeniorum pruritum refrenare, & inutilem muscas in telis nullo fundamento nixis captantium conatum cohibere. Quod hoc tam opportunâ occasione, ad honorem Dei, & ad S. Matris Ecclesiæ emolumentum, iam à multo tempore à SS. Officij Tribunali ad id incitatus præstandum duxi. Hoc dum facio, nihil in ea ex propria sententia dictum, factum, expositum velim; sed ex veterum Rabbinorum mente & attestatione; in hoc vnicum collimans, vt improba reprobem, heterodoxa confutem, detestandis execrer, periculosa errorum superstitionumq; ocurrentium præcipitia, quibus curiosi & imperiti Lectores se intricare possent, cautè ostendam, de latente dæmonum astutia incautos commonefaciam; vt sic tandem solus Dei honor & gloria, cui laboro, & vna animarum salus promoueatur. Altera verò assumpti tam ardui moliminis ratio, ipsius argumenti quod tracto, necessitas fuit. Cùm enim, vti diximus, Hebræorum mysteria similia sint mysterijs Ægyptiorum, id est, per obscuris ænigmatum nodis intricata, varijsq; allegoricarum locutionum inuolucris tecta veluti in abyssо quadam lateant; iure suo Oedipum requirere videbantur, qui nodos solueret, caliginem detegeret, rebusq; lucem afferret; atque sic tandem parallela quadam comparatione, inter Hebræorum Ægyptiorumque sapientiam instituta, vna alteram illustraret, ac demum, quod intendimus, hieroglyphicæ doctrinæ veritas tot veterum dogmatis comprobata, mundo propalaretur. Atque hisce præmonitis, iam propositum nobis argumentum cum bono Deo ordiamur.

CAPVT I.

De Kabalæ definitione, & diuisione.

KABALAH קבלה, à verbo קבל *Kibbel*, quod accipere significat, deducta vox, idem est atque acceptio; quòd videlicet בעלפה *benghalpeh*, vt Rabbini loquuntur, hoc est, oretenus à primis Patribus tradita, & à posteris successiuè accepta sit scientia: vnde sic definitur: *Cabala est diuinarum humanarumq; rerum arcana, per Mosaicæ legis typum, allegorico sensu tradita & insinuata facultas.* Quæ cùm nullo rationis discursu, nec calamo, sed auditu tantùm

Definitio Cabalæ.

tùm ac fide recipiatur, Cabalam, id eſt, receptionem appellare eam veteribus libuit. Alij ſic definiunt: *Cabala eſt diuinæ reuelationis, ad ſalutiferam Dei, & formarum ſeparatarum contemplationem, traditæ ſymbolica receptio*; quam qui cœleſti, vt Cabalici opinantur, ſortiuntur afflatu, recto nomine Cabalici vocantur. Quod enim Græcis Philoſophi, Chaldæis Aſtrologi, Magi Perſis, Gallis Druidæ, Indis Gymnoſophiſtæ, Ægyptijs Pſontomphanechi; hoc Hebræis Cabalæi ſunt. Quare non omnibus promiſcuè, ſed ſolis prouectioribus tradebatur. Vnde cùm R. Eliazaro quodam tempore dixiſſet Magiſter eius Iochanan: לך ואלמדך את מעשה המרכבה *Veni, docebo te opus de Mercaua*, hoc eſt, *curru diuinitatis*; reſpondiſſe fertur, לא קשאי *non incanui*; hoc ipſo indicans, tam ſublimem altamque de diuinitatis operibus ſapientiam eſſe, vt nullus eius diſciplinæ capax eſſe poſſit, qui non priùs ſedatis & extinctis cupiditatum ardoribus, & calore iuuenili refrigerato annis prouectus, cum quadam tamen naturali probitate, ſenuerit. Vnde R. Iuda Leui ait, כי אין קבלה טובה אלא עם הלב טוב *quòd Cabala non ſit niſi in corde bono*. Eſt itaq; *Cabala* nihil aliud, niſi *altiſſimarum rerum notitia*.

Cabala ſolis prouectioribus tradebatur.

R. Iuda Leui.

Verùm, vt in quo illa conſiſtat, quid arcanorum contineat, curioſo patefiat Lectori, ſummariam eius Synopſin apponam. Dixi in definitione, *eſſe Cabalam diuinarum, humanarumque rerum, per Moſaicæ legis typum, allegorico ſenſu, inſinuatam facultatem*. Et typum quidem in lege latitare, ipſa Legiſlatoris pariter & ſuſceptoris conditio demonſtrat. Legis namque lator, qui eſt vniuerſorum Conditor Deus, cùm æternus ſit, & vndique immutabilis, ideò ſempiternum & immutabile ſit eius eloquium oportet. Eloquium verò legis per Moſen traditæ, & Iudæorum multitudini promulgatæ, cùm varijs viciſſitudinum mutationumque modis obnoxium ſit; aliam, & longè quidem diuerſam eſſe legem Moyſis à ſuperna & vera Dei lege, neceſſe eſt. Vt proinde æternam illam Dei legem, veluti archetypum atque ideam, ex hac mandatorum lege, veluti ex vmbroſa quadam imagine, conijcere oporteat. Legis autem ſuſceptor homo, cùm μικρόκοσμος ſeu *paruus Mundus* ad Vniuerſi habitum, atque ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus ſit; perfectio & ſalus veluti iure quodam requirere videbatur, vt μεγάκοσμον ſeu *magnum Mundum*, & Conditorem ſuum facto & opere referret, imitareturque: imitabitur autem, ſi conformi & ſimili lege, id eſt, ſecundùm eam analogiam, qua & Orbis regitur, & per quam ipſe rerum Opifex condidit, & gubernat Vniuerſa, actus ſuos moderetur. Quemadmodum igitur paruus Mundus homo, ſummi Conditoris, & Vniuerſi Orbis ſimulachrum atque imaginem deſignat, vt ſuo loco dicetur; ſic congruum erat, vt eiuſdem microcoſmi lex æternam magni mundi legem denuntiaret: quod non niſi per allegoriam & myſticam intelligentiam, ſeu Cabalam, tradi & doceri in lege potuit; Moyſe vti primo diuinæ legis pronunciatore, ita & eiuſdem haud dubiè arcanæ intelligentiæ explanatore. Nam cùm dicta hæc Cabala, vniuerſa & ſingula diuinarum, humanarumque rerum primordia ac elementa conſideret, eaque ſenſim nectat, ſuo illa ordine pandat, viam ape-

Cabala in quo cõſiſtat, & quid contineat.

Cabalæ auctor Moyſes.

aperiendo, ſemitas ad æternæ felicitatis atria demonſtret; certè omnium allegorizantium traditionem auctoritate, eruditione, & ſanctitate longè ſuperare cenſeri debet.

Diuiditur autem primo in Theoricam, & Practicam. Illa intellectualium rerum penetralia conſiderat; hæc animum, & corporis vires, pro ſpiritualium donorum chariſmatis, & huius vitæ commodis impetrandis adaptat. Theorica altiora per ima, & latentia per notiora nobis denunciat; Practica, quid nobis faciendum, quomodo myſteria nobis applicanda, docet. In Theorica notiora ſunt ea, quæ claro & aſſiduo experimento in nobis ipſis deprehendimus; Vnde vniuerſa legis mandata numero & proportione humanæ compaginis partibus ad amuſſim reſpondere Cabalici aſſerunt. Hinc in Cabala triplicem hominem, ſecundùm triplicis Mundi analogiam, id eſt, Archetypum, Cœleſtem, & terrenum, quem & ſub copula maris & fœminæ conſiderant, aſſignant. Et primò quidem in lege dicunt maſculi vices tenere priora quatuor Pentateuchi volumina, quòd in ea diuina mens in eloquijs ſeſe exerat tanquam intellectus agens; quintum verò, ſcilicet Deuteronomium, fœminæ typum gerere exiſtimant, eò quòd humana mens ſeu intellectus paſſiuus maximè in eo ſeſe exerat. Terreni hominis marem & fœminam effigie, & operationum varietate ſenſus dijudicat; vnde per ſimilem actuum habitudinem ad aliorum duorum hominum partium appellationem & cognitionem allegoricam tranſcendunt. Cœleſtis hominis marem, per ſideream Cœli machinam; fœminam, per Lunarem globum, cum elementari fabrica, viſceribuſque in ea contentis exhibent. Archetypi denique hominis marem, per ſublimem Angelorum chorum; fœminam, per Regionam ſeu militiam, quem animaſticum ordinem vocant, exprimunt. Horum trium hominum ſingulos, nouem præcipuis membris conſtare aiunt; ſi quidem mas & fœmina ſeorſim expendantur: ſi verò vt vnum, tunc decem potioribus membris eos compaginari volunt. Potiora & ſempiterna legis membra ſunt decem perpetuò obſeruanda præcepta Decalogi. Terreni hominis membra, quæ & ſpeciem perpetuant, & indiuiduum conſeruant, decem quoque ſunt, videlicet, cerebrum, pulmo, cor, ſtomachus, hepar, fel, ſplen, ren, genitale, matrix. Sic & principalia cœleſtis hominis membra decem ſunt; Intellectuale ſiue Cœlum empyreum, Primum mobile, Firmamentum, Saturnus, Iuppiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Archetypi hominis membra pariter decem ſunt, quæ Hebraicè vocant

Cabala diuiditur in Theoricam & practicam; & quod vtriuſque officium.

Cabaliſtæ triplicem aſſignant hominem, Archetypum, Cœleſtem, Terrenũ.

Pentateuchi quatuor primi libri maſculo, quintus fœminæ comparati à Cabaliſtis.

Terreni, Cœleſtis, & Archetypi hominis decem præcipua membra.

חיות: הקדש: אופנים: ארלים: חשמלים: שרפים:
מלאכים: אלהים: בני אלהים: כרובים: אישים:

Id eſt: *Haijoth, Hakkodeſch, Ophanim, Aralim, Haſchemalim, Seraphim, Melachim, Elohim, Ben elohim, Cherubim, & Iſchim*; quorum nomina poſtea exponentur: quibus iuxta orthodoxorum Theologiam, Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli, Angeli, Animæ reſpondent. Quæ quidem recenſitæ decades omnes

Dei decem præcipua nomina in ſacris Scripturis expreſſa.

nes à decem sanctissimis exemplaribus Dei nominibus, quæ in sacra Scriptura inueniuntur, originem ducunt, ad eaque respiciunt & tendunt vniuersa; suntque

אהיה: יה: יהוה: אל: אלוה: אלהים: יהוה צבאות: אלהים צבאות: שדי: אדני:

Sephiroth quid in Cabala.

Id est, *Ehieh, Iah, Iehoua, El, Eloha, Elohim, Tetragrammaton Sabaoth, Elohim Sabaoth, Schadai, Adonai*; quæ à Cabalicis vocantur ספירות, *Sephiroth*, id est, numerationes, quorum singulis varia attribuunt cognomina, de quibus suo loco. Typum dictorum hucusque in sequenti figura contemplare.

Decem legis præcepta.	Terreni hominis membra.	Mystica Cœlestis hominis membra.	Mystica Archetypi hominis membra.	Iuxta orthodoxos.	Nomina Dei.	Attributa Sephiroth.
1	*Cerebrum*	*Cœlum empyreum*	*Haioth Hakkodesch*	*Seraphim*	אהיה *Sum qui sum.*	כתר *Corona*
2	*Pulmo*	*Primum mobile*	*Ophanim*	*Cherubim*	יה *Essentia essentians.*	חכמה *Sapientia*
3	*Cor*	*Firmamentum*	*Aralim*	*Throni*	יהוה *Deus Deorum*	בינה *Intelligentia.*
4	*Stomachus*	*Saturnus*	*Haschemalim*	*Dominationes*	אל *Deus Creator*	גדולה *Magnitudo*
5	*Hepar*	*Iuppiter*	*Seraphim*	*Virtutes*	אלוהא *Deus potens.*	גבורה *Fortitudo*
6	*Fel*	*Mars*	*Melachim*	*Potestates*	אלהים *Deus fortis.*	תפארת *Pulchritudo.*
7	*Splen*	*Sol*	*Elohim*	*Principatus*	יהוה צבאות *Deus exercituum.*	נצח *Victoria.*
8	*Ren*	*Venus*	*Ben elohim*	*Archangeli*	אלהים צבאות *Domin. Deus exercituum.*	הוד *Gloria*
9	*Genitale*	*Mercurius*	*Cherubim*	*Angeli*	שדי *Omnipotens.*	יסוד *Fundamentũ*
10	*Matrix*	*Luna*	*Ischim*	*Animæ*	אדני *Dominus.*	מלכות *Regnũ*

Cabala ab imis ad summa deducit intellectum.

Ex his apertè patet, quomodo Cabalici per occultam quandam analogiam ab infimis ad summum, & à summo ad ima perueniant; & quomodo eodem progressu legis historiam contexant. Cùm enim omnia ad hominem vsque creata sint, hinc ex ipsa lege humanum intellectum ad idem principium, vnde originem duxit, euehere student: hoc enim modo euectus intellectus mox ima repetit, & trinam singulis partibus nectens machinam, ad humana, diuinâ quâdam sorte, regenda conuertitur, vbi huius seculi tota completur felicitas. Vides etiam, quomodo lex allegorica ordinem formamque scientiæ & veritatis in se contineat: Lex siquidem à Deo est, & ordinem habet; cùm igitur illo nullus sit melior ordo, quid dubium est in lege esse?

Atque in hac tradita allegoria tota Cabalæ scientia versatur; quæ cùm in lege fundata sit, hinc canales riuosque veritatis per allegorica scrutinia varijs & innumeris modis deducere solent, nataque est varia illa Cabalæ diuisio, quam iam assignabimus.

Cabala diuidiur in Mercaua, & Bereseith; id est, scientiã currus, & opus creationis.

Diuidunt itaque nonnulli Cabalam in מרכבה *Mercaua*, & בראשית *Bereseith*, id est, in scientiam currus, & opus creationis. Illa intellectualis Mundi arcana; hæc sensibilis huius mundanæ machinæ, tanquam à supremi Opificis perpetuo influxu dependentis, opera inuestigat, expendit, & ad supremæ felicitatis consecutionem adaptat. atque hæc diuisio eadem est cum priori in Theoricam & Practicam. Picus Mirandulanus eam in ספירות *Sephiroth*, hoc est, numerationem; & שמות *Schemoth*, hoc est, nominum scientiam diuidit.

Picus Mirandul. diuidit Cabalam in ספירות & שמות

R. Hanai partitur Cabalam in quinque partes.

R. Hanai lib. speculationum, in quinque partes vniuersam Cabalam partitur, quas vocat: תיקון: צירוף: מאמר: מכלל: חשבון: *rectitudinem, combinationem, orationem, sententiam, & orationem.*

R. Ioseph Bar Abraham diuidit Cabalã in tria membra.

R. Ioseph Bar Abraham Salernitanus quinque dicta Cabalæ membra in tria reducit, iuxta triplicem rerum omnium conditionem, sc. numerum, pondus, & mensuram. Omnes denique siue antiqui, siue recentiores Cabalici eam in tres partes diuidunt; quarum primam vocant *Gametriam*, id est μετάθεσιν siue transpositionem; secundam, *Notaricam*, siue *Notaricum*; tertiam, *Themuram*, seu *Commutationem*, aut *Combinationem*: quam diuisionem Ioseph Salernitanus comprehendit sub hac voce, גנת, dum librum quem de hac arte conscripsit, vocat גנת אגוז, *hortum Nucis*; vbi per ג *Gametriam*, per נ *Notaricam*, per ת *Themuram* indicat, tres scilicet dictas Cabalæ species.

Cabala diuiditur in Gametriam, Notaricam, Themuram.

Gametria quid sit?

גמטריא *Gametria*, siue vt alij, Gematria, & Geometria, est mensura numeralis terrenorum & sensibilium characterum, qui ab illa Arithmetica formali dependent, quæ per abstractam suam simplicitatem non est vlli sensibili notitiæ subiecta; Atque in hoc consistit, quòd in ea vtplurimùm vna dictio pro alia, siue κατὰ τὴν μετάθεσιν, id est, per transpositionem, siue κατὰ ἰσοψηφίαν, id est, per æqualitatem numerorum, vsurpetur.

Notarica quid?

נטאריקון, *Notarica*, siue vt alij, Notariacum, & Notaricum, corruptum est vocabulum, à Notariorum siue Scriptorum apicibus & punctis, quæ subinde ad integram aliquam significationem innuendam apponere solent, desumptum; quam consuetudinem Notarica Cabala imitatur, dum ex capitalibus nominum literis, quas ראשית בוח

rasche theuoth Hebræi, Græci acrostychidas vocant, allegoricos sensus rimantur Cabalistæ. תמורה, *Themura*, siue commutatio, seu combinatio, quam Hebræi צירוף *Tsiruph* vocant, literam ponit pro litera, iuxta Alphabeticam quandam reuolutionem; de qua fusè suo loco. Sed iam dictarum vniuscuiusque partium exempla apponamus, vt discursus nostri ratio luculentiùs innotescat.

Themura quid?

Exempla Gametriæ.

Quæ consistunt in Methathesi siue transmutatione literarum, suntque prorsus eadem cum nostris Anagrammatismis.

IN his verbis Psalmi 21. versu 1. בכחך ישמח המלך, *In virtute tua lætabitur Rex*, per ישמח Cabalici intelligunt Messiam, quia literæ in voce ישמח transpositæ dant משיח Messias. ita dicunt, quòd Ezechiël sedit ad fluuium Chobar, id est, ad influentiam Cherub; transponatur enim כובר, & fit ברוב. sic Noë inuenit gratiam, conuertendo חן in נח. Apud Isaiam Prophetam cùm quæritur: מי אלה ברא, *Quis hæc creauit?* respondent Cabalici, אלהים ברא, *Deus creauit* per anagrammaticum sensum. Iterum Deus dicitur אל *El*, quod nomen transmutatum dabit לא *Lo, non*; quo Deum, propter ineffabilem naturæ super omnes res eminentiam, indigitant: Nam, vt rectè S. Dionysius ait: Ὁ Θεὸς νοῦς αἰόνητος, ἀλογία, καὶ αἰσία, καὶ αἰονομία, αἴτιος μὲν τοῖς οὖσι πᾶσιν, αὐτὸς δὲ μὴ ὤν, ὡς πάσης οὐσίας ὑπέκεινα. *Mens non mens, irrationalitas, & amentia, & innominatio, causa quidem omnibus existentiæ, ipse verò non est existens, cùm sit supra omnem substantiam & existentiam.* Exodi 23. *Præcedet te* מלאכי *Melachi*, id est, *Angelus meus*; quis est iste Angelus? lege per metathesin, מיכאל, id est, Michaël. Innumera hoc loco huius generis adducere possem; verùm cùm hæc in secunda Classe, cùm de primæua nominum origine tractaremus, fusè discusserimus; eò Lectorem amandamus. Sufficiat interim Gametricam Cabalæ speciem hoc loco paucis indigitasse. Qui plura huiusmodi desiderat, consulat Galatinum l. 1. Sixtum Senensem in Bibliotheca; Alexandrum Farram in symbolica philos. Paulum Riccium de diuisione Cabalæ; Nouoburgensem de nomine IESV; Fabrum de scuto Christi; Maximilianũ Sandæum de diuisione Cabalæ; Serrarium in prologomenis Biblicis; & innumeros alios in sacrum textum commentatores; potissimum autem suprà laudatum doctissimùm P. Thomam Gastaldum de Alassio; modò Episcopum Sestriensem meritissimum in libro de Angelica potestate.

Exempla Notaricæ Cabalæ.

NOtarica Cabala eadem est, quæ Latinis, Græcisque Acrostychica, vel ἰσόψηφα, dum per capitales nominum literas, vel per æqualitatem numerorum sub comparatis vocabulis latentium, occultos rimantur sensus. Duas itaque species continet Notarica Cabala. Prima est per lite-

literas nominum capitales, dum ex earum coniunctione & compositione eruuntur voces quædam significatiuæ. Huiusmodi est illud Esaiæ 65. *Benedicetur in Deo* אמן, *Amen*. Ecquis est Deus? respondebunt Cabalici, אדוני מלך נאמן, id est, *Dominus Rex fidelis*, cuius capitales literæ dant אמן *Amen*. Tale est, quod D. Hieronymus in quæstionibus suprà 3. lib. Reg. dùm verba Dauidis monentis Salomonem adducit, examinat in voce נמרצת, *maledixit mihi maledictione pessima*; quo vocabulo per Notaricam ostendit maledictionem omnium conuitiorum genere plenam fuisse: Nam per נ, eum vocauit נאף, id est, Adulterum, & alienæ vxoris, scilicet Vriæ Hethæi, raptorem; per מ, מאבי, id est, Moabitam, quasi ex ignobili & infideli Moabitarum genere ortum; per ר, רצח, *rozach*, id est, homicidam, nempe Vriæ, & Regis Saulis generis extinctorem; per צ, צרוע *Tseroangh*, id est, leprosum, quo dignum eum, qui leprosorum instar ab omni hominum consortio remoueretur, indicabat; per ת denique eum nominauit תועבא *Thogneba*, id est, non hominibus tantùm, sed & Deo abominabilem. Atque hæc est maledictio pessima, quâ Dauidi Semei filius Gora maledicebat. In Psalmo 3. sic habetur: רבים קמים עלי, *multi insurgunt in me*. qui sunt isti multi? respondent Cabalici, ורבים; per ר, Romanos; per ב, Babylonios; per י Iones Græcos; & per מ, Medos indigitantes. Huc reuocatur omnis illa mystica Alphabeti expositio, de qua postea dicetur. Talia etiam sunt nomina: מכבי, אגלא, הקבה, quæ idem sonant ac מי כמוך באלהים יהוה, *quis sicut tu in fortibus Domine?* & הקדוש ברוך הוא, *sanctus benedictus ille*. אתה גבור לעולם אדני, *tu fortis in æternum Deus*, & Hoc pacto & Latini sua abscondere solebant, sub initialibus literis integrum aliquem sensum insinuantes. Vti Titus Vespasianus fecisse legitur, qui sub hisce literis P P P P E S S S E V V V V V V V F F F F, hunc sensum indigitabat. *Primus Pater Patriæ Præfectus Est, Secum Salus Sublata Est, Venit Victor Validus, Vicit Vires Vrbis Vestræ, Ferro, Flamma, Fame, Frigore.* Huc pertinet illa formula iudicij recuperatorij sic repræsentata: Q E R E T P I R D T Q P D D D P F, id est: *Quanti Ea Res Erit, Tantæ Pecuniæ Iudicium Recuperatorium Dabo, Testibusq; Publicè Duintaxat Decem Denunciandi Potestatem Facit.* Sed de his vide Petrum Diaconum, & Valerium Probum de notis Romanorum. Imitati sunt & Græci præ reliquis hanc rationem. Æsopus Phrygius cùm vnâ cum Hero suo Zanthio forte in columnam incidisset marmoream, cui septem literæ Græcæ erant insculptæ, indicantes thesaurum eo in loco, non longè à columna defossum, earumque Zanthus intelligentiam anxiè inquireret; Æsopus inuentis dictionibus, quæ ab ijsdem characteribus incipiebant, scripturam istam tribus adhibitis expositionibus illustrauit. Erant autem literæ A B Δ O Y Θ X: quas Æsopus, manifestans Hero suo locum thesauri, quem literæ designabant, sic exposuit:

Ἀποβὰς βήματα δέκα καὶ, Ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου.

Descendens gradus quatuor fodiens inuenies thesaurum auri.

Cùm itaque Zanthus thesaurum effodisset, neque partem vllam auri

Æsopo decerneret; modestè eum admonuit Æsopus, vt præcepto columnæ insculpto pareret, quod literæ illæ continebant in hunc modum:

Ἀνῄρεμένοι Βαστάζαντες Διέλεσθε Οὗν Εὕρετε Θύσαυρον Χρυσίου.

Tollentes ite diuidite quem inuenistis Thesaurum auri.

Quòd cùm Zanthus facere contemneret, solusque auro potiri vellet; indignatus Æsopus comminatus est, nisi partem acciperet, se alterum eiusdem scripturæ mandatum executurum, ita præcipientibus literis:

Ἀποδῶς Βασιλεῖ Διονυσίῳ Οὗν Εὕρες Θύσαυρον Χρυσίου.

Redde Regi Dionysio quem inuenisti Thesaurum auri.

Huc reuocari possunt illi versus acrostychides Sybillæ de iudicio extremo, quorum capitales literæ sensum dant positum suprà in Classe III. Innumera alia sunt, quæ huius farinæ Hebræi & Græci adferunt; quæ quoniam trita sunt & plebeia, consultò omittimus.

Altera species est per æqualitatem numeri, siue vt Græci vocant, ἐκ τῆς ἰσοψηφίας, ad æqualitatem calculi; & fit, quando nonnulli reconditiores sacræ Scripturæ sensus inuestigantur per numeri in duabus dictionibus latentis æqualitatem. Ex.gr. quæritur quid sit illud שושנה *Susana*, id est, lilium, in libro Esther? dicunt Cabalici, quòd sit idem quod אסתר *Esther*, quia vtrumque continet numerum 661. Sic Eliezer אליעזר *Eliezer*, id est, *Dominus meus adiutor*, eundem numerum habet, quem nomen אברהם, *Abraham*, videlicet 318; vnde colligunt, Abraham adiutorio Dei fulcitum tam grandia peregisse. Pari pacto nomen Dei מקום *Macom*, dicunt esse idem cum יהוה tetragrammato, quia æqualitatem numeri continet vtrumque, videlicet 186. Si tamen in vltimo literarum numeri in quadratis suis exhibeantur. Ita illud ישראל בחר בעמים, *Israël elegit in populum*, æquiualet huic in numero 613, תריג יצר, *formauit thorig*; est autem thorig vocabulum quod denotat 613 præcepta in lege præscripta. & illud בראשית *bereschit*, æquiualet huic, בתורה יצר, *in lege creauit*; vtrumque enim continet 913. Rursus בראשית ברא, *in principio creauit*, pariter æquipollet, בראשית השנה נברא, *in principio anni creatus est*; & vtrumque continet 1116. Legitur de Isaac & Rebecca 25. Gen. והרה רבקה אשתו *& concepit Rebecca vxor eius*; quid concepit? אש וקש *esch vekesch*, id est, *ignem & stipulam*, iuxta æqualitatem numerorum in אשתו, & אש וקש latentium. Tempus me deficeret, si omnia, quæ in Rabbinorum libris passim occurrunt, huius farinæ machinamenta, adducere vellem. Hos Græci imitati, in quibusdam haud absurdè luserunt dicta methodo; vt dum illud Apocalypseos explicant: *Et erat numerus bestiæ* 666. Nam nomina Antichristi, quæ ex S. Irenæo sunt, Τεῖτα λαματεὶς, λατῖνος, εὐτεμος, eundem numerum 666 continere, ex numero sub dictionibus latente demonstrant. Tale etiam est illud Sybillæ de nomine ΙΗΣΟΥΣ. & erunt nomen eius octo monades, octo decades, & octo hecatondades, id est, 888. Verùm ne tempus in re omnium tritissima teramus, hic calculum quorundam dictorum nominum subiungamus.

שמור		מצוחי		שושנה		אסתר		בראשית		בתורה יצר		אשתו		אש וקש	
ש	300	מ	40	ש	300	א	1	ב	2	ב	2	א	1	א	1
מ	40	צ	90	ו	6	ס	60	ר	200	ת	400	ש	300	ש	300
ו	6	ו	6	ש	300	ת	400	א	1	ו	6	ת	400	ו	6
ר	200	ת	400	נ	50	ר	200	ש	300	ר	200	ו	6	ק	100
		י	10	ה	5			י	10	ה	5			ש	300
								ת	400	י	10				
										צ	90				
										ר	200				
	546		546		661		661		913		913		707		707

Antichristi nomen — Christi nomen

Λ	30	Τ	300	Α	30	Α	1	Ι	10
Α	1	Ε	5	Α	1	Ν	50	Η	8
Τ	300	Ι	10	Μ	40	Τ	300	Σ	200
Ε	5	Τ	300	Π	80	Ε	5	Ο	70
Γ	10	Α	1	Ε	5	Μ	40	Υ	400
Ν	50	Ν	50	Τ	300	Ο	70	Σ	200
Ο	70			Ι	10	Σ	200		
Σ	200			Σ	200				
	666		666		666		666		888

Exempla Ziruph, seu Themuræ, siue Combinatoriæ artis.

TErtia species dicitur תמורה *Themura*, id est, commutatio, & צירוף *Ziruph*, siue combinatio; & in hoc consistit, quòd Cabalista per reuolutionem Alphabetariam, vnam literam pro alia accipit. Fit autem permutatio, iuxta numerum literarum Alphabeti, bis & vigesies, quia viginti duas literas Hebræorum legimus; semperque binis quibusque literis coniugatis licebit alteram sumere pro altera; prout etiam in latinis literis fieri potest: vt si *a, b, c, d, e, f*, continuò binas & binas coniugaueris, videlicet sub prima combinatione *ab*, sub secunda *cd*, sub tertia *ef*; velisque per epistolam huius artis peritum aliquem hortari, vt supplicaturus principi cadat ante pedes eius; sic scribes: *d b e f*; quod ille leget sic: *Cade*. & sic de cœteris. Totum hoc opificium prouenit ex Alphabetaria reuolutione, vt succedat mutuò litera pro litera proprio ordine combinata, scilicet *a* pro *b*, & vicissim *b* pro *a*; similiter *c* pro *d*, & *d* pro *c*; itemque *e* pro *f*, & *f* pro *e*. Hinc in libro Iezirah dicitur, *Aleph* cum omnibus, & omnia cum *Aleph*; haud secùs *Beth* cum omnibus, & omnia cum *Beth*; & ita de singulis. Hâc arte Cabalistæ diuina nomina omnia educunt; hâc eâdem portentosa Angelorum nomina decernunt; hic promus condus est totius superstitiosæ Cabalæ. quod quomodo, & quâ industriâ fiat, dicetur in sequentibus loco proprio.

Atque hæ sunt tres illæ Cabalæ partes, Gametria, Notarica, & The-

Vanitas tripartitæ Cabalæ.

Themura seu Combinatoria; in quibus (vt quod res est, fatear) sagaciora ingenia tempus & operam perdere nolim, cùm fere nullius momenti, nec ingenij sint. Nam prior, Gametria dicta, fere nihil aliud est, quàm ars illa, quam pueri in anagrammatis conficiendis passim adhibere solent: secunda verò Notarica prorsus acrostychibus conuenit; in quibus quidem, si laborem demamus, nullum prorsus ingenij subtilitatis vestigium apparet. Combinatoria verò, quam Themuram vocant, eadem est ac illa quam nos steganographiam, siue occultam per Alphabetorum variam transmutationem, scripturam vocare solemus; in qua pariter nihil adeo occurrit, quo docti sibi satisfacere possint, vt vel maximè mirer, nonnullos forsan tenuioris ingenij homines huiusmodi nugamenta tanto in pretio habere potuisse.

Obiectio.

Sed dices, Gametricam Cabalam insignia diuinitatis mysteria ex Hebraica lingua eruere, vt patet in allatis suprà exemplis primæ speciei, & ex hoc מלאכי, *Angelus meus*, quâ voce per Gametriam signatur מיכאל *Michael*. Respondeo, cur non potiùs במיאל *Camiel*, כימאל *Kimael*, מכיאל *Makiel*, יכמאל *Iccamael*, ימכאל *Imacael* (quorum prior Angelus ignis, alter plagarum Angelus dicitur, cœteri alios & alios Angelorum effectus prorsus contrarios notant) quàm Michaël ponunt? possunt enim ex vnica dictione innumeri sensus, proprij, improprij, pulchri, absurdi, & dissoni anagrammaticè erui; vt proinde de mysteriosa hac Cabalæ parte nihil solidum, nihil exactum, & ingeniosum concludi possit. Idem dicendum de altera specie, quam Notaricam vocant; cur enim per hoc nomen רבים, *multi insurgunt in me*, non potiùs Rabbinos, Bactrianos, Idumæos, Moabitas, aut similes gentes, quàm Romanos, Babylonios, Iones Græcos, & Medos intelligant, non video. Vana itaque est omnis huius Cabalæ pars, & tam in bonum, quàm malum, consonum, & dissonum sensum pro libitu inuestigatoris detorqueri potest. Sensum enim, quem Cabalistæ ad diuinitatis mysteria detorquent, cur alius quispiam pari pacto ad vana, futilia, & dissona sacris literis non detorquere possit, non video. Quod de Themurah quoque, siue tabula Ziruph dici potest. Vnde hanc triplicis Cabalæ diuisionem vanam, inutilem, & superstitiosam prorsus habendam esse censeo, neque veteribus vnquam adhibitam, sed à recentioribus Rabbinis malè feriatis, rerumque ignaris homuncionibus, introductam.

Resolutio.

Cabalæ legitima diuisio est in Mercauam, & Berescith.

Cabalæ subdiuisiones variæ, & varia nomina.

Vera itaque Cabala non in anagrammaticam, acrostychicam, & steganographicam diuidi debet, sed in eam, quam suprà insinuauimus, nempe in Mercauam, & Berescith; quarum illa circa decem Sephiroth seu numerationum diuinorumque influxuum mysteria, hæc circa tùm Dei, tùm Angelorum nomina, quæ sunt veluti quædam sensibilis huius Mundi signacula, versatur: & vtraq; in plures partes, ac veluti Classes quasdam, iuxta variam obiectorum, circa quæ occupatur, rationem subdiuiditur, quorum aliæ legitimæ, illegitimæ aliæ sunt. Hoc pacto illa quæ circa abstractam Dei naturam, reuelationumque diuinarum proprietates versatur, propriè diuina dicitur; Quæ circa Angelos, eorumque in hoc mundo præ-

præsidium, Angelica; quæ in operibus naturæ rimandis, Naturalis & physiologica; quæ mores formandos spectat, Ethica; quæ denique circa dæmonum adiurationes occupatur, Theurgica & Magica dicenda est. Quas omnes & singulas partes hoc loco, quantum ingenij vires permittunt, exacto studio & diligenti ordine, reproba reprobando, pertractabimus.

CAPVT II.

De Origine Cabalæ, ex mente Kabalistarum.

HVmani generis Protoplastus Adam, cùm infelici sorte contra præceptum Domini de fructu gustasset, atque adeo totam humani generis posteritatem, ob inobedientiæ peccatum contra infinitam Dei maiestatem commissum, vnà secum in perditionis ruinam traxisset, neq; esset, nisi altissimo æqualis, qui damnum & iacturam resarcire posset; ad imminentis desperationis efficax remedium prorsus diuinâ reuelatione opus erat. Ne igitur figmentum suum plasmator Deus absque omni medelæ spe deseruisse videretur, spem quandam iniecit firmamque fiduciam, futurum, vt hoc tam immane originalis noxæ crimen, suo tempore per hominem sibi æqualem condonaretur, abolereturque. Et cùm ad mysterij sublimitatem, & inscrutabile diuinæ sapientiæ consilium, humanæ mentis infirmitas pertingere minimè posset, Angelum suum, vt Cabalici volunt, misit, cuius instructione pleniùs tantæ ruinæ futuram disceret reparationem.

Patriarchas autem primi humani generis duces & propagatores, singulos Angelos habuisse ductores, doctoresque, hisce verbis ostendunt Cabalici Doctores.

שהאבות רבותיהם היו מלכים יודעים רבי של אדם רזיאל :
ורבי של שם יופיאל : ורבי של אברהם צדקיאל :
ורבי של יצחק רפאל : ורבי של יעקב פליאל :
ורבי של משה מטטרון : ורבי של דוד מיכאל :

Fragmentum Hebræorum de Angelis Patriarcharum Magistris.

Id est, *Fuerunt Patrum nostrorum Angeli præceptores noti; Angelus Magister Adam Raziel, Semi Iophiel, Abrahæ Tsatkiel, Isaaci Raphael, Iacobi Peliel, Moysis Mitatron, Dauidis Michaël*. Raziel itaque, iuxta Cabalicos, Adami diuino nutu destinatus Magister, commissi peccati condonationis, expiationisque rationem omnem exposuit, viam ad salutis reparationem monstrauit, & diuinum Verbum per allegoriam recipiendum, declarauit. Quod Thalmudistæ hoc allegorico verborum inuolucro proponunt. Deus post conditum seculum, cœlique machinam consummatam, cùm ex parte Aquilonis ingens foramen reliquisset, mirati filij Dei dixerunt: vt quid Domine tantam in hac Aquilonari parte fœditatem relinquis? cur non vt cœteras partes stellis ornas? Respondit Deus; Hoc foramen claudi non poterit, nisi venerit mihi æqualis, & hic claudet foramen, & omnem decorem reparabit. Quid per cœlum astriferum hoc loco, nisi Angeli;

Angelus exponit Adamo Verbi diuini Incarnationem futuram secundum Hebræorum.

Angeli; quid per foramen in parte Aquilonari relictum, nisi casus Angelorum rebellium, & Luciferi Ducis eorum? qui cùm dixisset; *Ponam in Aquilone requiem meam, similis ero Altissimo*; præcipitatus in inferiora terræ, mox Adamum adortus ad peccatum allexit; vnde tota humani generis ruina. Quid per similem Altissimo foraminis reparatorem, nisi vnigenitus Dei Filius, verus Messias, Christus Seruator noster? qui in hunc Mundum descendens, carne vestitus, meritis & passione sua foramen aquilonare obstruxit, astris decorauit, adeoq; totam ruinam instaurauit; vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Angelus itaque Raziel, vt Cabalici docent, his verbis Adamum mœrore plenum allocutus est. Nè immodico gemitu & tristitia conficiaris; Nam ex semine tuo nascetur homo iustus & pacificus, vir heros, cuius nomen erit יהוה: hic per rectam fidem, & placidam oblationem mittens manum suam, sumet de ligno vitæ, & eius fructus erit omnium sperantium salus. Quibus verbis confirmatus Adamus, incredibili confidentia, & in conditorem suum amore tactus, diuinæ clementiæ gratiam obtinuit. Atque hæc fuit omnium prima Cabala, seu traditio accepta, primordialis salutis nuncia; hæc est illa reuelatio sanctissima, & summa, in quam omnes diuinorum eloquiorum traditiones reducuntur, omnes cœlestium eruditiones, Prophetarum vaticinia, Doctorumque studia & meditationes resoluuntur; vnicum omnium Cabalicarum receptionum compendium & finis. Verùm vti omnis reuelatio essentialiter, vt Scholæ loquuntur, obscura est, sic & Adamus, quisnam tam illustris homo, tam sublimium dotium instructione beatus futurus esset, ignorans, paulatim se eundem futurum existimauit; vnde & Cabalici asserunt, quòd Adam primus inde iuuencum Deo obtulerit, שגם אדם הראשון הקריב שור פר, futuri roboris veluti symbolum quoddam. Verùm cùm postea non seipsum, sed ex semine suo illum nasciturum cognouisset, vxorique reuelasset arcanum; hæc eum futurum existimans, quem concepisset Kain, Mundi Saluatorem, mox ac peperit, præ gaudio clamauit: קניתי איש את יהוה, *possedi virum illum tetragrammaton*, siue quatuor literarum. Sed enim, cùm hunc peruersis & præserocibus moribus præditum, imò pessimæ frugis cognoscerent; alium genuerunt, quem & Abel vocauerunt; atque hunc eum futurum sperabant. Verùm illo à Kain occiso, tandem spem promissionis factæ in Setho, primùm posuerunt; & deinde in nepote Enos, qui, vt habet sacer textus, אז הוחל לקרא בשם יהוה, *tunc incepit inuocare nomen Domini*; vel vt Cabalistæ tradunt, tunc exspectatus est inuocari per ש *Schim* literam, quæ iuxta leges Cabalæ idem denotat, quod ברחמים, *in miserationibus*, & מ litera Notariacè idem notat, quod מתוך, id est, *de medio*, scilicet quatuor literarum יהוה: quasi diceret אז הוחל לקרא בשם יהוה, *tunc exspectatus est vocari per Schim de medio* יהוה. Sed & hic eos spe fefellit, donec tandem in Henoch firmaretur. Verùm illo disparente, & traditione ab Adamo in posteros nepotes propagata, tandem Noë vir iustus & perfectus in ætate sua, omnium opinione habitus est salutis amissæ per lignum reparator. Verùm ob ebrietatem confusione interueniente, Sem filium

Angeli verba ad Adamum

Prima Cabala seu traditio ab Angelo tradita Adamo.

filium eius huius ruinæ reparationem suscepturum spes erat. Nam vt R. Moyses Gerundensis ait: הודיע כי יהיה עובד אלהים, *Notum fuit, quod is futurus erat seruus Dei, promissorum reparator*. Sed Iophiele Angelo Semi aliter ipsi declarante, reparatio in ortum Abrahæ fuit dilata: qui ab Angelo Zadkiele instructus, ex semine suo nasciturum illum, in quo benedicerentur omnes generationes terræ, putauit hunc futurum filium suum Isaac, qui ligno vitæ accepto salutem humani generis esset procuraturus: vnde tanta animi iucunditate, lignis humeris sibi impositis, cum sacrificio, iubente Deo, destinauit, vnicâ spe ductus, futurum vt expleta Dei voluntate in filij oblatione, salus promissa consequeretur. Sed Raphaële Isaaci Angelo aliter eum informante; ac aliter Peliele Angelo Iacobi instituente, spes protelata fuit in ortum Moysis; qui tum ob prodigiosam in fiscella iuncea conseruationem educationemque, tum ob Dei in eductionem ex Ægypto filiorum Israël, admirandam vocationem, miraculorumque innumerabilium in Ægypto perpetrationem, legisque in deserto innumeris miraculis confirmatam promulgationem, is, quem diximus, ab omnibus habitus est perditæ salutis per peccatum Adæ, restitutor. Sed cùm Angelus Mitatron aliud decerneret, dilata spes vsque ad Dauidem, & Salomonem, quem, quia à Deo electus, Rex erat sapiens, & pacificus, & primus templi ædificator, promissum illum pacis Principem, & orbis instauratorem existimabant; sed frustra. A Salomone itaq; illius terrestris templi conditore, vsq; ad Regem Ioachim, exspectatio salutis vniuersæ apud omnium cœtum Prophetarũ in venturo Messia collocata fuit, ab Isaia vsq; ad Malachiam, cùm dixit, *Statim veniet ad templum suum dominator Dominus, quem vos quæritis*. Post Prophetas autem, salutiferi aduentus Messiæ exspectatio, totaque Cabalica exercitatio, quam in Messiæ sempiternam liberationem reducunt, ad Scribas Legis, & Seniores quos apellant, & ad magni consilij viros descendit, successiuè recepta ab Ezra, qui Cabalam hanc tradidit Simeoni iusto sacerdoti magno, & Synagogæ præfecto, à quo recepit eius Auditor Antigonus cum socijs suis, de quibus fuerunt Zadock, & Bethus, radix Hæreticorum Saducæorum & Bethusai, vt habetur apud Iudam Leuitam in libro Aleozer; deinde Ioseph filius Ioëzer, & Ioseph filius Iohanan: Hi autem dederunt Nitæo Arbolensi, & Iesu filio Parahiæ: Ab his autem Tibæus, & Simon Satæ filius, quorum Iosephus l. 1. ant. meminit, receperunt: Hi autem Samaiæ, & Abtalioni dederunt; Ab his receperunt Hillel, & Samai multorum millium discipulorum Magister; Ab his Rabban Ionathan Ben Zachai, cui quinque discipuli fuernut, Eliezer filius Hircani, Iosue filius Hananiæ, Ioseph Cohen, & Eliazer filius Arach, Simeon iustus filius Nethanael, qui Christum vlnis excipere meruit; Cuius filius Iuda Nagid, qui, & רבינו הקדוש, Magister Sanctus dictus est; quem filius Gameliel recipiendo imitatus est: Et hos secuti sunt reliqui Cabalistarum Duces, Hananias filius Arusiæ; Abba Saul; Rab. Tarphon; Acabia filius Mahahellelis; Hanania Princeps Sacerdotum; Hanina filius Thradionis; Nehomia Bar Haccana; Helaphta; Iannai Bar

R. Moyses.

Iudas Leuita.

Bar Duſchai; Hanina Ben Duſa; Doſa Ben Harchinas; R. Akiba, cui adſcribitur liber ישירה Iezirah; Eleazar Ben Hazariæ; Eleazer Haſma; R. Leuitan; R. Ionathan Ben Baroca: poſt eum Simeon, Zadok, Ioſi, Iſmael, R. Meir, & innumeri alij, quos temporis lucrandi gratia ſilentio ſupprimo. Atque hi omnes ſcriptis ſuis vel antè, vel immediatè poſt Chriſtum, hanc de Saluatore Mundi Cabalam egregiè, vt ipſi putant, expoſuerunt; de quibus omnibus lege פרקי אבות *Pircke auoth*, id eſt, *Capitula Patrum*, בבא בחרא *Baba Bathra*, quæ porta poſterior; dicitur, סדר הקבלה *Seder hakabulah*, id eſt, *Librum Cabalæ*, סדר עולם *Seder ngholam*, id eſt, *ordinem Mundi*, עבקה רוכל, *faſciculum pigmentarij*; alioſq; ſuis locis allegandos tractatus, qui quæcumque huc vſque dicta ſunt, fuſè proſequuntur.

CAPVT III.

De primo fundamento Cabalæ, quod eſt Alphabetum, eiuſque characterum myſtico ordine.

Alphabeti Hebraici ſingulæ literæ continent aliquid diuinum & admirabile

HAbent hoc præ omnibus alijs Hebraici Alphabeti literæ, quòd ſinguli characteres neſcio quid diuinum & admirabile contineant; quod & D. Hieronymus in Epiſtola ad Vrbicam ſat ſuperque demonſtrat, dum nonnulla veluti prima huius artis fundamenta adducit, ſingulaque Alphabeti Hebraici elementa ſeparatim interpretatur, & ad ſenſum anagogicum viginti duarum literarum Alphabetum in ſeptem veluti conneXiones diſtributum, applicat, vt ſequitur.

S. Hieronymus.

I. Connexio.	II. Connexio.	III. Connexio.
אלף *Aleph*, id eſt, *doctrina*. בית *Beth*, *Domus*. גמל *Ghimel*, *plenitudo*. דלת *Daleth*, *Tabula* vel *Porta*. Et indicat, quòd videlicet doctrina Eccleſiæ, quæ domus Dei eſt, in librorum diuinorum reperiatur plenitudine.	הי *He*, *iſta*. וו *Vau*, *&*. זין *Zain*, *Hæc*. חית *Chet*, *vita*. Et indicat anagogicè iſtam & hanc vitam; quæ enim alia vita eſſe poteſt, ſine ſcientia ſcripturarum, per quam etiam ipſe Chriſtus vita credentium agnoſcitur?	טית *Thet*, *bonum*. יוד *Iod*, *principium*. Et anagogicè indicat, quòd quamuis nunc ſciamus vniuerſa, quæ ſcripta ſunt; tamen ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: cùm autem meruerimus eſſe cum Chriſto, tunc librorum ceſſabit doctrina, & tunc videbimus à facie ad faciem bonum principium ſicuti eſt.

IV Con-

IV. Connexio.	V. Connexio.	VI. Connexio.
כף *Caph*, *manus*. למד *Lamed*, *diſciplina*, ſiue *cor*. Et continent hoc: Manus intelliguntur in opere, cor & diſciplina intelliguntur in ſenſu, quia nihil facere poſſumus, niſi priùs, quæ facienda ſunt, ſciuerimus.	מם *Mem*, *ex ipſis*. נון *Nun*, *ſempiternum*. סמך *Samech*, *adiutorium*. Et indicat anagogicè, ex ſcripturis hominі ſubſidia ad æternam vitam conſequendam indeficienter ſubminiſtrari.	עין *Aghain*, *fons*, *ſiue oculus*. פי *Pe*, *os*. צדי *Tſadè*, *iuſtitia*. Et anagogicè indicat ſcripturam eſſe fontem ſeu oculum oris iuſtitiæ, qui omnium operum iuſtitiæ per os diuinũ conſtitutorum originem contineat.

VII. Connexio.
קוף *Koph*, *vocatio*. ראש *Reſch*, *caput*. שין *Schin*, *dentes*. תו *Thau*, *ſignum*. Quaſi diceretur, vocatio capitis dentium ſignum, dentibus enim articulata vox promitur; & in his ſignis ad caput omnium, qui Chriſtus eſt, & ad Regnum ſempiternum, peruenitur.

Atque hæc eſt interpretatio Alphabeti myſtici Hebraici, iuxta mentem D. Hieronymi.

Ex quo patet, quanti etiam ipſi SS. Patres Cabalicam hanc interpretandi rationem fecerint.

Cabaliſtæ verò trium mundorum myſterium, videlicet Angelici, Siderei, & Elementaris, per literarum ordinem & ſeriem non ineptè indicant hoc pacto.

Ab א *Aleph* vſque ad י *Iod* Chori ſiue Ordines Angelorum indicantur, quas intelligentias ſeparatas, & formas incorporeas Philoſophi appellant, omni corporeâ formâ deſtitutas, à virtute Dei immediatè emanantes. Vocaturque עולם המלאכים, *Mundus Angelicus*. Deinde à litera כ *Caph* vſque ad צ *Tſadè*, cœlorum ordines deſignantur, qui Dei Creatoris virtute donati ab Angelorum influxu diſpenſantur; & vocatur עולם הגלגלים, id eſt, *Mundus Orbium*. Porrò à צ *Tſadè* vſque ad ת *Thau* inueniunt quatuor elementa cum ſuis formis, quæ eſſe & viuere influunt; diriguntur autem ab influentijs Angelorum & ſphærarum, vocaturque עולם השפל, *Mundus elementorum*.

Verùm iam hæc ſingula particulari deſcriptione exponamus, vt myſteriorum ratio prorſus Ægyptiorum myſterijs parallela, vti poſteà dicetur, pateſiat.

1 א *Aleph*, *Doctrina*, eſt nota diuini nominis הו, & indicat inacceſſam diuinæ eſſentiæ lucem, quæ intelligitur per אין סוף *Enſuph*, id eſt, *infinitum*; cuius nota eſt prima Sephiroth; quæ dicitur כתר *Kether*, *Corona*, ſignum nobiliſſimarum rerum, quæ primo effluxu diuinæ bonitatis ſubſiſtunt, & ſunt Angeli dicti חיות הקדש *Haioth hakodeſch*, id eſt, *animalia ſancta*. hiſce iuxta Orthodoxos reſpondent Seraphini.

2 ב *Beth*, *Domus*, nota eſt diuini nominis אהיה, quæ pertinet ad

 diui-

diuinam ſapientiam, quæ & ens dicitur, quòd omnibus quæ ſunt, eſſentiam ſuppeditet; & reſpondet ſecundæ Sephiræ ſeu Numerationi, quæ חכמה *Chochma*, ſeu *Sapientia* dicitur. huic verò ex Angelis reſpondent אופנים *Ophanim*, *formæ* ſeu *rotæ*, & cum Cherubinis ijdem ſunt; & ſecundo loco deriuantur à Dei virtute per intelligentiam priorem, & ipſi à Deo quoque inferioribus influunt. Mundus Angelicus.

3 ג *Ghimel*, *Retributio*, index eſt diuini Nominis אש *eſch*, & ignem amatorium, ſiue Spiritum ſanctum exprimit, & reſpondet tertiæ Sephiræ, ſeu Numerationi, que בינה *Binah* dicitur, ſeu *prudentia*; repræſentatque ex ſuperioribus eſſentijs Angelos, qui אראלים *Aralim* dicuntur, id eſt, Angeli magni, fortes & robuſti, deſcenduntque ordine tertio à diuina bonitate, illuminanturque virtute Dei per intelligentiam ſecundam, & ipſi pariter inferioribus influunt; dicunturq; iuxta Orthodoxos Throni.

4 ד *Daleth*, *Porta*, ſymbolum eſt diuini nominis אל *el*, & denotat quartam Sephiram, id eſt חסד, quæ eſt *clementia* ſeu *miſericordia*; cui attribuuntur חשמלים *Haſchemalim*, quæ Dominationibus reſpondent, qui virtute Dei per medium intelligentiæ tertiæ influuntur, & eâdem virtute in inferiora influunt.

5 ה *He*, *Ecce*, nota eſt diuini nominis אלהים *Elohim*, & quintæ Sephiræ quæ פחד *Pachad* dicitur, id eſt, *rigor*, *iudicium*, & *ſeueritas*, *latus ſiniſtrum*, *gladius Dei*: cui attribuuntur iuxta Hebræos שרפים *Seraphim*, iuxta Orthodoxos Virtutes; & influuntur de virtute Dei per medium intelligentiæ quartæ, ac eâdem virtute inferioribus influunt.

6 ו *Vau*, *Vncinus*, myſterium nominis Dei אלוה *Eloah* exhibet; & reſpondet תפארת *Tiphereth*, Sephiræ ſextæ, quæ *pulchritudo*, *decor*, *Sol ſupercœleſtis* dicitur; reſponderq; מלאכים *Melachim*, ſeu Poteſtatibus; qui influuntur de virtute Dei per medium intelligentiæ quintæ, ac eâdem virtute in inferiora influunt.

7 ז *Zain*, *arma*, exhibet nomen Dei צבאות, id eſt, *Dei exercituum*, & reſpondet numerationi ſeptimæ נצח *netſach*, id eſt, *victoria*; ei reſpondent Angeli אלהים *Elohim*, ſiue *Principatus*; & influuntur de virtute Dei per ſexti ordinis Angelos, ac eâdem virtute inferioribus influunt.

8 ח *Cheth*, refert nomen Dei אלהי צבאות, & vnà octauam Sephiram quæ הוד, id eſt, *laus* dicitur; quibus reſpondent Angeli dicti בני אלהים *Benelohim*, id eſt, *filij Dei*, & cum Archangelis idem ſunt; qui de virtute Dei influuntur per ſeptimi ordinis Angelos, eâdemque virtute in inferiora influunt.

9 ט *Teth*, *declinatio*, exhibet nomen Dei שדי *Sadai*, & Sephiram nonam יסוד, id eſt, *fundamentum*; ei congruentes ſunt כרובים *Cherubim*, ſeu *Angeli*; & influuntur de virtute Dei per medium intelligentiæ octaui ordinis, & eâdem virtute influunt in inferiora.

10 י *Iod*, *Principium*, continet nomen Dei אדני מלך *Adonai Melech*, id eſt, *Rex Dominus*, cui reſpondet Sephira decima, quæ dicitur מלכות, *Regnum*,

Regnum, & ex Angelis אישים *Iſchim*, id eſt, *viri fortes*, ſuntque ex omnibus hierarchijs infimi, ac Dei virtute illuſtrantur per nonum Chorum, eâdemque virtute in filios hominum cognitionem & ſcientiam rerum, mirificamque induſtriam influunt. & in his finitur Mundus Angelicus.

11 כ *Caph* capitale, *vola manus*, exprimit primum mobile, ab ipſo אלשדי *Elſadai*, tanquam à prima cauſa immediatè motum. cuius intelligentia dicitur מטטרון שרפנים *Mitatron Seraphanim*, *Princeps aſpectuum*, & intellectus agens Mundi ſenſibilis, per penetrationem formarum inferioribus omnibus vitam præbens; quare influit virtute diuinâ in omne quod mobile eſt. Mundus Sidereus.

12 ך *Caph* finale, Orbi ſtellarum fixarum in duodecim ſigna Zodiaci diſtincto reſpondet, qui גלגל המזלות *galgal hamazilo:h*, *Orbis ſignorum* dicitur; cui præeſt intelligentia רזיאל *Raziel*, influiturque de virtute Dei per medium intelligentiæ Mitatron, & eâdem inferioribus influit.

13 ל *Lamed*, notat Cœlum Saturni, primam ſphœram Planetarum, quos לכת, quaſi *ambulones* dicunt. Saturnum autem dicunt שבתאי *Schebtai*, intelligentia eius שבתאיאל *Schebtaiel*. De virtute Dei à Raziele influitur, & influit eâdem in inferiora, vti Cabaliſtæ volunt.

14 מ *Mem* capitale, deſignat Cœlum Ioui, quem Hebræi צדק *Tſedek* dicunt; atque eius intelligentiam ad eodem vocant צדקיאל *Tſadkiel*; & de virtute Dei per medium intelligentiæ Schabtaielis influitur, & eâdem influit.

15 ם *Mem* finale, ſeu clauſum, indicat Cœlum Martis, quem מאדים *Maadaim* vocant; intelligentia eius eſt כמאל *Camael*, ab ardore ſic dicta; quâque vi influitur à Tſadkiele, eâdem influit in inferiora.

16 נ *Nun* capitale, ſignificat שמש *Schemeſch*, id eſt, *Cœlum Solis*; eius intelligentia eſt רפאל *Raphael*; influitque de virtute Dei per medium intelligentiæ Camael, eâdemque virtute influit inferioribus.

17 ן *Nun* finale, ſphœram indicat Veneris, quæ נוגה *Noga* dicitur; eius intelligentia dicitur חניאל *Haniel*, *gratiæ conciliatrix*, & Dei virtute influitur per medium intelligentiæ Raphaelis, eademque virtute influit inferioribus.

18 ס *Samech*, indicat Cœlum Mercurij, qui כוכב *Cochab*, id eſt, *ſtella* dicitur, cuius intelligentia eſt מיכאל *Michael*, influiturque de virtute Dei per medium intelligentiæ Raphaelis, & eâdem virtute influit inferioribus.

19 ע *Nghain* indicat Cœlum Lunæ, quæ dicitur ירח *Iareach*, oculus ſiniſter Mundi; eius intelligentia eſt גבריאל *Gabriel*, influiturque de virtute Dei per medium intelligentiæ Michaelis, & eâdem inferioribus influit. atque hucuſque Mundus ſidereus.

20 פ *Pe* capitale, indicat animam intellectualem; & dirigitur ab intelligentijs ſeparatis, iuxta opinionem Hebræorum. Mundus Elementaris.

21 ף *Pe*

21 ף *Pe* finale, indicat omnes ſpiritus animales, qui diriguntur ab intelligentijs ſuperioribus de virtute & mandato Dei.

22 צ *Tſadè* capitale, ſymbolizat materiam tam cœlorum, quæ eſt intelligibilis; quàm elementorum, quæ ſenſibilis, omniumque miſtorum; diriguntur autem virtute diuinâ per intelligentias ſeparatas, & per proprias formas.

23 ץ *Tſadè* finale, monſtrat elementorum formas, quæ ſunt ignis, aër, aqua, terra; diuinâque virtute per Angelos, qui dicuntur אישים, & virtute cœlorum, & virtute materiæ primæ, quæ eſt fons & origo omnium elementorum, reguntur.

24 ק *Koph*, ſymbolum eſt inanimatorum, & mineralium, eorumque quæ dicuntur elementata & miſta; diriguntur autem virtute diuina per ſphœras cœleſtes, & intelligentias ſeparatas & proprias.

25 ר *Reſch*, indicat omnem vegetatiuæ naturæ ſubſtantiam, fructus, fruges, herbas, plantas, & ſimilia, quæ è terra naſcuntur, ac virtute Dei influuntur à corporibus cœleſtibus, & intelligentijs peculiaribus, de quibus hoc datur à Cabalicis pronunciatum; אין עשב מחחת שאין לה מזל ואומרה גדל *Non eſt herba inferiùs, quæ non habet influentiam, quæ dicit ei, creſce.*

26 ש *Schin*, omnem ſenſitiuæ naturæ ſubſtantiam indicat, vti ſunt animalia, tam reptilia & progreſſiua, quàm piſces, & volucrum genera, & quæcunque vitalem motum habent; virtute Dei influuntur à corporibus cœleſtibus, & intelligentijs ſeparatis.

27 ת *Thau*, Microcoſmi, id eſt, hominis ſymbolum eſt, quæ litera ſicut finis eſt omnium elementorum, ita homo finis & perfectio omnium creaturarum; dirigiturque à Deo complexionibus & qualitatibus elementorum iuxta influentias aſtrorum, & per officia particularia Angelorum, qui אישים *Iſchim* vocantur, qui ſicuti Mundi Angelici finis ſunt, ita & homo in Mundo vniuerſorum.

Atque hoc eſt Alphabetum myſticum Hebræorum ex R. Akibæ monumentis extractum; quo quidem totius tam intelligibilis, quàm ſenſibilis naturæ ordo exhibetur. Eſt enim prima omnium cauſa Deus per א indicatus; intellectus enim eius omnia eminenter continens omnia gubernat & adminiſtrat per cauſas ſecundas, & per ſecundas tertias, cuiuſmodi ſunt Hierarchiæ influentes de ordine in ordinem, de gradu in gradum, de ſerie in ſeriem; potentia verò & virtus archetypa contrà per intelligentias & cœlos in vniuerſa entium genera influit, vti dictum eſt, & S. Dionyſius fusè docet in libris de cœleſti Hierarchia, & alij paſſim ex ipſo. Quæ omnia pulchrè triplici Ægyptiorum Mundo conſentiunt. Verùm de hiſce vide quæ ſuo loco fuſiùs deſcribemus in tractatu de Mundis.

Sed iam numerum, ſub quibus dicta elementa exhibentur, conſideremus. Faciamus itaque numerorum tres gradus, quorum primus eſt monadum, alter decadum, tertius Hecatontadum. Primus gradus Alphabeti

beti figuris notatur ab Aleph ad ט inclusiuè. Secundus Decadum ordinem exhibet, & continet Alphabeti literas à Iod vſque ad צ inclusiuè. Tertius eſt Hecatontadum, id eſt, centenariorum, & nouem characteribus conſtat à ק vſque ad ת.

9 8 7 6 5 4 3 2 1 א ב ג ד ה ו ז ח ט	Primus gradus monadum, ſiue vnitatum.
90 80 70 60 50 40 30 20 10 י כ ל מ נ ס ע פ צ	Secundus gradus decadum, ſiue denariorum.
900 800 700 600 500 400 300 200 100 ק ר ש ת ך ם ן ף ץ	Tertius gradus eſt hecatontadum, ſiue centenariorum.

Vides quomodo per nouem monades ſimpliciſſimas intellectualis Mundus nobis proponatur; & quomodo in ſecundo ordine per nouem decades, ſenſibilis ſiue Siderei Mundi forma eluceat; & quomodo tandem per nouem hecatontades elementaris & totius corruptionis Mundus indicetur; ita vt res quantò plus à monade receſſerint, tantò ob multitudinis confuſionem imperfectiores reddantur. Atque hæc eſt triplex illa Enneadum trinitas tantopere non ab Ægyptijs tantùm, & Chaldæis, ſed & Pythagoricis, & Platonicis commendata, vti in Arithmetica hieroglyphica videbitur; cuius radix ternarius; quadratus, nouenarius; cubus Heptaicoſias eſt per 27 numerũ indicata, innumeris arcanis repleta, totius & ſingulorum in eo contentorum idea abſolutiſſima; poſt quorum reuolutionem reuertimur ad א magnum millerarij notam, vltra quam omnia infinitatis ſtatum obtinent. Sed hæc, vt dixi, alibi fuſiùs.

CAPVT IV.

De Nominibus & Cognominibus Dei.

VTi ex Elementis miſta & compoſita, ita ex literis nomina, verba, dictiones, propoſitiones emergunt. Explicato itaque Alphabeto Hebræorum myſtico, iam nomina quoque quæ ex eodem eruuntur, alterumque ſunt Cabalicæ diſciplinæ fundamentum, diuinorum, inquam, notitiam nominum, ſine quibus nihil in vniuerſa Cabala vtile & fructuoſum, nihil ſublime & arduum tranſigi poteſt, pari paſſu deſcribemus, omnia, vt dixi, ex mente Hebræorum. Quare vt ab ouo rem ordiamur,

Varia Dei Nomina & Cognomina continentur in ſcriptura ſacra, & omnia pendent à tetragrammato Dei nomine.

Sciendum, vnanimi Cabalicorum ſententia, Legem Dei nihil aliud, quàm continuum concatenatumque diuinorum nominum cognominumque contextum eſſe; quæ quidem tanquam rami & folia ab arboris radice, à tetragrammato dependent nomine, quo multiplex radicum emittitur copia, & vndiquaque varij ramorum propullulant fœtus; quæ ſunt à multiplicibus effectibus in naturæ maieſtate eluceſcentibus impoſita

Dei

Nomina Dei.

Dei cognomina. Nomina autem tetragrammato adiuncta, sunt omnia, ea, quæ nostri Theologi attributa dicunt, v. g. bonus, immensus, incomprehensibilis, sapiens, terribilis, sustinens iniquitatem, super delicta transiens, Adonai, id est, Dominus. Cognomina sunt, magnus, misericors, clemens, Elohim, fortis, iudex, iudicator. Istorum præterea singulis alia debentur cognomina, quæ quidem sunt dictiones omnes, in quas lex ipsa resoluitur; nominum inquam, iuxta effectuum varietatem multitudo prorsus infinita. Et tametsi Deo propriè, vtpote ab omni corruptionis mistura longè remotissimo, nomen non competat, vt cuius nomen sit ipsa eius essentia; postulat nihilominus radicalis diuinæ essentiæ ratio, vt ei secundùm nostrum debilem & imperfectum concipiendi modum nomina imponamus, quorum continuâ expensione in eius altissimæ diuinitatis arcana introducti, spem & fiduciam concipiamus, atque amore tandem ei perfectissimè vniamur, iuxta illud: *Exaltabo eum, quoniam cognouit nomen meum*. Nam veram altissimi existentiam neminem vnquam, ipso excepto, mente comprehendisse, neque vllum alium ex vniuersa Superûm multitudine ad inaccessas diuinæ abyssi latebras pertigisse, illo Ioannis, *Deum nemo vidit vnquam*, apertè probatur. Hinc quandocunque in lege mentio fit oris, manus, auris, pedis, oculi, & aliorum huius generis, quanquam ea magnitudinem & virtutem Dei aliquo modo insinuant, quid tamen in simplicissima illa diuinitatis abysso manus, quid pes, quid oculus, quid auris, quid os, quid alia membra in mystico & archetypo corpore sint, nullâ vnquam creaturarum tantâ ingenij sublimitate, tanta intellectus perspicacia fuit, quæ id comprehendere potuerit; sed totum id dependet ab impenetrabili quadam analogiâ in diuinæ essentiæ centro recondita. Quanquam enim nos ad imaginem & similitudinem Dei conditi simus, non ideo tamen quempiam inconsultiùs existimare velim, oculi, manus, oris, pedumque formam, simplicissimam altissimi Dei naturam obtinere; sed in eodem esse quid intrinsecum, analogum figuris, membrisque humanis, ex quibus profluant, scaturiantque vniuersa modo ineffabili, ratione prorsus inexplicabili, iuxta illud: *Cui assimilastis me & adæquastis?* Dum igitur manus, oculi, pedum, cœterorumque membrorum mentio fit in scriptura, nihil eo aliud intenditur, quàm vt mens humana, dum membra altissimarum latentiumque rerum intellectui incomprehensarum signa percipit, similitudine quâdam membrorum perculsa, attenta reddatur, & operum diuinorum contemplandorum incensa desiderio, veluti reflexo quodam radio in Deum reuerberetur. Ita os diuinum mentem humanam ad percipiendam mandatorum diuinorum obseruantiam incitat; brachium & manus in auxilij fiduciam commouent; pedes ad currendam viam Domini, animant. Hinc Deus miro quodam ordine omnia construxit, spiritualia corporeis tam pulchra analogia connectendo, vt quem ordinem in humano corpore artus & membra obtinent, quem in elementorum Mundo quatuor corpora simplicia, mistorumque series, quem in sidereo sphærarum concatenatio, quem in Angelico Mundo hierarchici Chori ordines, eundem sibi vendicauerit secundùm ineffabilem quandam, vt dixi, analogiam archetypus ille & increatus Mundus Deus Opt. Max. in æternum benedictus. Nam vt rectè S. Dionys. lib. de cœl. Hierarchia, fieri non potest vt mens nostra ad illam cœlestium hierarchiarum materiæ expertium imitationem, contemplationemque excitetur, nisi rerum corporearum sibi notarum præsidio vtatur, cùm pulchritudo sensibilis, speciei ac pulchritudinis occultæ atque reconditæ nihil aliud quàm simulachrum quoddam sit; cùm suaues odores sensibiles, nihil aliud quàm effigies eius suauitatis, quæ solâ ratione intelligitur; & sic de cœteris, quæ naturis quidem cœlestibus modo sublimiori & nudè, nobis verò signis quibusdam tradita sunt. Hinc mens humana ab omni peccati labe exuta, atque à terrenarum rerum concupiscentia liberam nacta sortem, veluti præuiâ quâdam dispositione influxus diuini capax reddita, quod membrum mundum constituerit, id latentis superni artus membrum, cui idem nomen adscribitur, sedes haud dubiè euadet; quod & Apostolus indicat, dum membra nostra templum esse Spiritus sancti affirmat. Qui verò sordibus, & sensibilium rerum turpitudine, corporis sui membra inquinauerit, is membra tollit Christi, & templum Dei membra efficit meretricis. Quicunque igitur oculi v. g. intuitum à vanitate continuerit, imò iuxta præceptum Domini eruerit, nihil aspiciens prauum, nihil pudendum & turpe, sed quæ solùm gloriam cultumque optimi Conditoris concernunt; tunc oculus iste in abditæ rei supernæ sedem, cui oculi nomen adaptatur, redigetur, iuxta illud Christi: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Idem dicendum de manu, & pede, idem de singulis humanæ compaginis membris iudicandum. Hinc arborem decem Sephiroth, quas mensuras vocant, vti postea dicetur, veteres summâ ratione decem humani corporis præcipuis membris accommodarunt; quæ sunt veluti totidem membra in archetypo illo homine, ineffabili quâdam analogiâ eo ordine disposita, quem infinita illa diuinitatis simplicitas nostro concipiendi modo permittit; & nihil aliud sunt, quàm nomina quædam diuinitati propria, quorum ope in triplicem mundum influit, omnia gubernat & moderatur, ipso prorsus immutabili, & nulli mutationis inconstantiæ subiacente; vt in sequentibus amplè demonstrabimus, & S. Dionysius Areop. pulchrè ostendit in libro de Hierarchia cœlesti c. 1. 2. 3.

Cognomina Dei.

Membra humana Deo in Sacra Scriptura attributa, quid denotent, difficile est perspicere.

S. Dionys. Areop. de Hier. Eccl. l. 1. c. 1.

Applicatio ad Ægyptiorum mysteria.

Hanc Cabalam à primis Patriarchis Ægyptij primi receperunt. Vnde quod Hebræi per literas & nomina, id ipsi varia animantium transformatione occultè indigitarunt, atque per statuarum mystico quodam ritu constitutarum membra declararunt, dum in humanis statuis membra miro quodam modo, nunc torta, modò expansa, iam curuata, nonnunquam stantium, subinde iacentium, interdum genuflectentium situ, varijs ornamentorum habitibus condecorata effinxerunt. Et quid aliud tanto ac tam multifario apparatu indicare voluerunt, nisi occultam illam analogiam membrorum hominis ad inaccessas & incomprehensibiles diuinitatis articulationes demonstrandas? & membra sensibilia insensibilibus sympathico quodam coniugio ex similitudine exorto, vnienda? in quo nexu

nexu totius beatitudinis finem ſitum ſciebant. Quid aliud Orpheus in myſterijs ſuis, per longum illum Deorum Dearumque contextum, per ſuffumigia vnicuique appropriata, niſi totidem diuinæ bonitatis, potentiæ, iuſtitiæ, immenſitatis attributa deſignat? quod & de Homericis figmentis ad ineffabiles diuinorum influxuum in Vniuerſum virtutes effectuſque indicandos dictum videri debet.

Membra itaque Archetypi iſtius corporis, dum ob myſteriorum profunditatem homini, imò Angelis incomprehenſibilia ſunt, aprè ſanè per totidem nomina exprimuntur; Nomina enim, vt rectè Pardes dicit, ſunt ipſa membra Dei benedicti in ſecula. Sed his ita prælibatis iam ad explicationem nominum diuinorum progrediamur.

§. I.

Nomen Dei Tetragrammaton יהוה, *ſiue quatuor literarum.*

REgius Pſaltes admirabile hoc tetragrammati nominis myſterium olim profundiùs perſcrutans non immeritò exclamabat:

ארוני ארונינו מה אדיר שמך בכל ארץ:

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Admirabile dixit, quia omnem tranſcendit humanæ & Angelicæ intelligentiæ limitem. Admirabile dixit, quia nemo id nouit, niſi ſolus is, qui id ipſum ſibi impoſuit. Admirabile dixit, quia tam admirabile eſt, quàm ipſe, qui id geſtat, admirabilis eſt ſolus. Admirabile dixit, quia quæ diuinorum operum in hac mundi machina ſpectantur, ex hoc vnico veluti diuinæ benignitatis inexhauſto fonte, & infinitæ immenſitatis Oceano in vniuerſum creaturarum ambitũ diffunduntur. Eſt enim id nihil aliud niſi diuinæ abyſſi index, incomprehenſibilium myſteriorum Dei penuarium, legis diuinæ & humanæ receptaculum, quinquaginta portarum Mundi aditus, vti & triginta duarum ſemitarum Iſagogus, vtpote quo gubernentur, diſpenſentur, incitentur, animentur, viuant, ſentiant, intelligant omnia. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!* Et quamuis omnia cœtera Nomina & Cognomina Dei ex effectibus Creatoris proceſſerint, hoc tamen nomen prorſus diuinum, & ſublime, nulla effectuum contagione inquinatum, ſeipſo conſtans, immobilem Dei eſſentiam & exiſtentiam vnicè exhibet. Ab hoc omnia cœtera nomina tanquam ex ineffabili archetypæ arboris radice propullulant. Quæ omnia pulchrè R. Nehemia Ben Haccana in epiſtola ad filium ſuum data, quæ אגרות הסדות, *Epiſtola ſecretorum* dicitur, e..ponit his verbis:

Nomen Dei admirabile.

R. Nehemia.

אודעך שאין לאל שם אשר אנו נוכל להשיג חברה לפי שעצמותו הוא שמו
ושמו הוא עצמותו וכמו שמעצמותו לא נוכל להשיג ידיעה עם כל זה כל שמותיו
יש להם הוראה לפי ששם ארבע אותיות הוא יותר עצמי לפעלותיו ממראה ידיעה
יותר שלמה ויותר עצמיות כפי מה אנו יכולים לקבל ומזה מצטרפים כל שמותיו ולפי
זה שמה נקרא שם המפורש לא שהוא יהיה שמו עצמיו: אבל אנו אומרים אותו
לפי

לפי שזה הוא כל מה שבהיכתנו נוכל להשיג: ויותר גבוה מלמעלה לא נוכל
לעלות:

Hoc eſt: *Manifeſtabo tibi, quòd Deo nomen non eſt, quòd nos poſſumus comprehendere: Eſt enim ſubſtantia eius nomen eius, & nomen eius eſt ſubſtantia eius; & quemadmodum eius ſubſtantiæ notitiam habere non poſſumus, quoniam eidem ſimiles efficeremur; ita nominis ipſius notitiam habere nequimus. Nihilominus omnia eius nomina ſunt attributiua. Et quia quatuor literarum nomen operationibus eius peculiare eſt, notitiam perfectiorem & magis ſubſtantialem, quantum nobis animo concipere datur indicat; & quia ex hoc nomine procedunt omnia eius nomina; ideo dictum eſt Semhemnephoras; id eſt, expoſitum, non quòd ſit nomen eius ſubſtantiale, ſed nos id dicimus in quantum nobis concipere datum eſt; & ideo altiùs aſcendere non poſſumus.* Omnia itaque ſanctiſſima Dei nomina nomini Dei tetragrammato inſerta ſunt, & veluti catenatim annexa, omnia enim ab eo pendent, tanquam ab omnium Imperatore, cui veluti Duces, Archiduces, Principes, Comites, Barones imperij ſui annodati ſunt. Nam vt rectè Moſes Botril in Iezirah ait.

Omnia nomina Dei inſerta ſunt nomini tetragrammato.

Moyſes Botril

באילן אשר מכל צד יוצאים ענפים וענפים מענפים
כן יוצאים כל שמות:

Sicuti arbor è cuius lateribus egrediuntur rami, & rami ex ramis; ſic omnia alia nomina ex magno illo nomine egrediuntur; vnde quicunq; intelligit myſterium, intelligit etiam, quomodo omnia de magno eius nomine emanarint, & quomodo vnumquodque fructum facit ad ſpeciem ſuam, & quomodo repoſita ſint in æterno eius diuinitatis gremio; vt prouida non ſine ratione priſcorum ſtatuerit authoritas, quòd qui temerario auſu nomen magnum & formidabile protulerit, prout in lege ſcriptum eſt, vel qui in vanum illud ſumpſerit, partem non haberet in futuro ſeculo. Sed iam myſteriorum ſub eo latentium interpretationem ordiamur.

§. II.

Myſteria Nominis Dei יהוה.

RAbbenu Hakados, quem Hebræi Sanctum nominant, in libro qui intitulatur, reuelator arcanorum, ſic inter alia de hoc nomine tradit:

חבש ששם בן ארבע אותיות כפי תואר כתבו אשר הוא בלשוננו העברית
הוא זה יהוה הוא אלוה מוליד ולפי שלא יוכל להיות מוליד בלא מיולד האוי הוא
להשתעף האחבה מן המוליד למיולד ולהפך מן המיולד למוליד לפי שאם לא היה
זה לא היה מוליד ואם לא היה משתעף אהבה ממיולד למוליד היה המוליד נפרד
מהמיולד והיו שני עצמיים אבל אנחנו נרצה המוליד והמיולד היות עצם אחד
ולפיכך הוא נצרך מאחד לאחר תשטעף האחבה:

יהוה

Id eſt, *Aſpice & conſidera, quòd nomen quatuor literarum iuxta formam ſuam, quâ ſcribitur, & quod in lingua Hebraica ſic ſcribitur*, יהוה, *ipſum indicat*

indicat Deum generantem; & quia non potest esse generans sine generato, conueniens est, vt amor à generante in generatum, & è conuerso à generato in generantem procedat; quod si hoc non esset, non generaret, & si non procederet amor à generato in generantem, & distingueretur generatum à generante, essent duæ substantiæ; ideo volumus nos, generantem & generatum esse vnam substantiam, & ideò necesse est ex vno in alterum procedere amorem. Habemus pronunciatum, iam quomodo id contingere possit, & quomodo id ex ipso nomine colligere possimus, videamus.

Nomen Dei tetragrammaton יהוה denotat SS. Trinitatem.

Literæ itaque huius sacrosancti nominis יהוה, quoad numerum quidem quatuor sunt, vnde tetragrammaton dicitur; re vera tamen non nisi tres sunt יהו; ex eo verò quòd secunda bis ponitur, secundo scilicet & vltimo loco, quatuor esse censentur. Tres igitur huius nominis literæ, tres designant diuinæ naturæ hypostases. Et prima quidem, scilicet יוד Iod, punctum & principium exponitur, eò quòd omnium aliarum literarum principium sit: Nam sicuti ex fluxu puncti fit linea, ex fluxu lineæ superficies, ex fluxu superficiei corpus; ita ex diuini istius ineffabilis puncti ad extra, omnes Mundorum series constituuntur. Rursus, quemadmodum ex יוד Iod puncto omnia reliqua Hebraici elementa Alphabeti componuntur; ita omnia, quæ in hac sensibili Mundi machina facta conspiciuntur, ex puncto illo diuinitatis archetypo profluxerunt: omnes enim literas Hebraicas ex puncto Iod compositas, Alphabetum illud mysticum, quod Hoachæum vocant, & ab Abrahamo Balmis fusiùs exponitur, satis declarat, vt videre est in Tabula Class. II. fol. 105. in Alphabeto mystico ab Angelis tradito.

In יהוה יוד Iod significat punctum & principium.

יוד Iod Componit omnes Hebraici Alphabeti literas.

In יהוה יוד Iod, denotat primam SS. Trinitatis personam.

Cùm itaque prima litera יוד Iod & punctum & principium indicet, rectè per id Pater, prima in sacrosancta Triade hypostasis denotatur; quæ cùm à nullo alio, aliæque hypostases ab eo emanent, rectè principium sine principio dicitur à Theologis.

ה He significat esse & viuere, & denotat secundam SS. Trinit. personam in יהוה.

Secunda litera est ה He, quæ esse, vel viuere significat, secundamque in diuina Triade hypostasin aptissimè innuit, Filium inquam, iuxta illud; *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat.* Tertia denique litera ו Vau, cùm copulatiuam dictionem notet, rectè tertiam Sacrosanctæ Triadis hypostasin, Spiritum sanctum exprimit; qui cùm sit Amor Patris & Filij, quo se inuicem amant, rectè nexus & copula vtriusque nuncupatur.

In יהוה ו Vau, denotat copulatiuam dictionem, & tertiam SS. Trinit. personam.

Quarta verò litera ה He, secundæ iuncta in יהוה, duplicem in Filio naturam designat; ה quidem post יוד diuinam; ה verò post ו humanam: Nam Pater quidem, qui prima persona est, cùm sit solùm producens, & non productus, vnam tantùm quoad hoc habet relationem; Spiritus sanctus quoque per ו indicatus, cùm solùm productus sit, non producens, vnam pariter tantùm relationem habet; Filius autem, qui secunda in diuinis persona dicitur, vtpotè & producens & productus, rectè duas relationes habere ostenditur: Nam & à Patre productus est, & cum Patre vnà Spiritum sanctum producit: Quamuis etiam alij duplicem per duo ה in Christo naturam exhibent. Hinc antiqui Hebræorum sapientes nomen hoc Dei attentiùs considerantes, illud non per quatuor, sed tria Iod circulo inclusa, & subscripta vocali Camets, ad ineffabile Sacrosanctæ Triadis mysterium indicandum, signare solebant, vt sequitur ( ); quod Author libri, qui intitulatur Pardes, his verbis affirmat:

Duplex יהוה in ה denotat duplicem naturam Christi, & duplicem relationem Filij.

Hebræi antiqui scribebant nomen Dei tetragrammaton per tria Iod, & Camets.

בי לסוד זה כותבים השם ג׳ יודין כנ״ל:

Quòd ob mysterium hoc nomen scribunt tribus Iod, vti hic יוד. Quòd & Chaldaicæ paraphrasis manuscripta, & Constantinopolitana editio sat superq; demonstrant, vbi huiusmodi nomen passim dictâ ratione scriptum inuenire licet. Kamets verò cur tribus Iod subscripta sit, causam eius hanc do. Cùm enim יוד Iod idem sit, vt suprà dictum est, quod principium; principium verò in operibus SS. Triadis intrinsecis soli Patri conueniat, & in operationibus extrinsecis, tribus Personis commune sit; tria Iod tres denotant diuinas hypostases; vnica verò Kamets tribus Iod supposita vnicam naturam diuinæ essentiæ, quæ vnicuique hypostasi impartibiliter communicatur, designat. Circulo verò, cui tria Iod includuntur, ipsa diuinæ essentiæ identitas rectè denotatur, qua simul diuinæ hypostases tanquam vnicum principium, & vna prima causa, ad omnium rerum actiones concurrunt, tribus Iod trinam personarum æqualitatem rectè indicantibus. Quæ veteres pulchrè tribus Dei nominibus יה: הו: יהו, ex nomine tetragrammato deductis expresserunt: primum enim יה deducitur ex primâ & secunda litera, & Deum Patrem totius diuinitatis fontem notat; secundum הו ex secundâ & tertia litera constituitur, & Filium exprimit; iuxta illud Esaiæ 35. אלהים הוא יבוא וישיעכם, *Deus ipse veniet & saluabit vos*; tertium denique nomen יהו Spiritum sanctum exprimit; quia & ipse quoque post Filium visibiliter mitti debebat, licet non eodem modo; Filius enim in humana natura sibi hypostaticè vnita mittendus erat, Spiritus sanctus verò in Columbæ specie, vel in linguis igneis, non sibi tamen hypostaticè vnitis, sed tanquam in signo. In hoc verò, quod secundum nomen descendit à primo, & tertium à secundo (nam litera ה communis est primo & secundo nomini, ו verò communis est secundo & tertio;) ostenditur rectè, Filium consubstantialem esse Patri, à quo genitus est, & Spiritum sanctum consubstantialem esse Filio, consubstantialemque Patri, à quo procedit; vt in propatulo sit, & Filium esse in Patre, & Patrem in Filio, & Spiritum sanctum in vtroque. Et cùm tota Sacrosancta Trias sempiternâ stabilitate gaudeat, rectè hæc tria nomina trium temporum, præteriti, præsentis, & futuri differentiam denotant; præteritum per היה fuit, præsens per הוה est, futurum per אהיה ero; quasi innueret ipsum nomen, Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum semper fuisse, esse & fore.

Camets cur tribus Iod subscribatur in nomine Dei tetragrammato.

Nomina Dei יה, הו, יהו ex nomine tetragrammato deducta, quid denotant.

Vides igitur quomodo, ex suprà citato Authore R. Hakadosch, Deus generans ostendatur ex vi & efficacia diuini nominis tetragrammati. Sed iam

Nominis tetragrammati in numeros resolutio.

iam hæc eadem ostendemus in numeris. י Iod, 10 denotat; totidem הוה, quorum vnumquodque 5 significat: prius ה notat Filium, & posterius Spiritum sanctum, coniuncta per particulam copulariuam ו Vau, quod 6 exprimit, quo vnitas trium Personarum consubstantialis aptè indicatur. Alij ex Rabbinis. ac inter alios Author Pardes id hoc pacto per numeros interpretatur. Nihil infinito, nihil vno, nihil puncto prius est, & ipsum rerum omnium principium est; deinde vsque ad vnum, & vsq; ad punctum omnia sunt, & vltra vnum atque punctum nihil est: hic igitur rerum omnium finis. habebis modò primam יהוה literam, quæ & figuram puncti refert, & י Iod, id est, principium nominatur, & denarium, id est, finem omnis numeri designat, & omnem numerum simplicissimè penetrat, quoniam notam præsefert vnitatis, vnitas autem omnium numerorum mensura communis est, principium omnis interualli longitudinisque, ipsa omnis longitudinis & interualli incapax, neque alteri addita quicquam nisi seipsam producit, vti & punctum. Porrò ex primo binario & primo ternario procedit quinarius, qui productum à suprema luce primum intellectualis Mundi radium vno sacrato charactere, hoc est, ipsa ה litera demonstrat, quam & Arithmetici primum incompositum, & Cabalici prolationis Spiritum, essentiæque hypostasin articuli officio designari tradiderunt. Hinc Cherubini à Salomone supra arcam fœderis constituti alis quinque cubitorum adornabantur; verus supercœlestis citra Deum naturæ & essentiæ typus. Sequitur ו senarij numeri index, cœli & terræ, id est, omnium ex materia & forma compositorum copula; atque in solidorum natura constituitur, & citra omne corpus inseparabili & perfectâ coniunctione semper nascitur, quorum cuiuslibet duo sunt motus, nil mirum si post ו sequatur ו, id est 6, qui numerus priorum multiplicatione nascitur, siue enim his 3, siue ter 2 dicas, 6 nascuntur; congruus omninò materialibus numerus, ad indicandum, sexto Mundi die omnia Dei opera perfecta fuisse. Hinc & ה & ו inter omnes literas vocantur circulares, quæ quomodocunque in se multiplicatæ, semper 5 & 6 in fine relinquent; ita quinque in se ducta faciunt 25, & hæ in 5 denuò ductæ 125, & hæ in 5 producunt 625. Item de senarij in se multiplicatione dicendum, vt in margine patet. Quo indicatur, Mundi Archetypi ac sensibilis perfectam quandam & circularem connexionem esse. Sed de his plura in Arithmeticis.

Author Pardes.

5	25	6 36
125		216
625		1296

Porrò nomen Dei tetragrammaton κατ' ἀναλογίαν resolutum in numeros, dabit 26, quod æquiualet nomini Dei כו Kò; quod est porta piscinæ magnæ omnium benedictionum diuinarum: per hoc enim כו Kò ad nomen Dei tetragrammaton aditus datur, iuxta illud:

י 10	
ה 5	
ו 6	כו 20
ה 5	ו 6
26	26

ויאמר יהוה אל משה אהיה אשור אהיה כה תמאר לבני ישראל:

Et dixit Deus ad Moysen, Ego sum qui sum: sic dices filijs Israel, אהיה *misit me ad vos.* זה שמי לעולם, *hoc nomen meum in æternum, hæc est commemoratio mea in generationem & generationem*; vt per לעלם sine ו, id est, *ad cælandum*, significaret, nomen hoc ter benedictum, dum legitur, occultandum esse; vetitum enim erat illud pronunciare, nisi à Sacerdote magno in sanctuario semel in hebdomade literis suis. Nam vt rectè Rabbi Hakadosch: לא תכתבני בשם יהוה אלא בשם אדוני, *Non scribetis me nomine* יהוה, *sed nomine Adonai.* Cùm itaque nomen Dei יהוה sit vnum, & quatuor literarum, literæ verò numerum 26 contineant; fit vt 1. 4. & 26 in vnum contracta, 31 exhibeant; quem numerum etiam אל, alterum Nomen Dei exhibet, videlicet 31. Rursus כו Dei nomen numero אלהים יהוה æquipollet, si expanse scribatur sic כף ו, *Caph Vau*; dabit enim 112, totidem videlicet, quod אלוהים יהוה, vt in margine patet. Præterea hoc nomen expanse scriptum sic, יוד הי ו הי, & in numeros resolutum, dabit eundem numerum, quem particula מה *Mah, quid*; videlicet 45. Cùm enim Moyses dixisset: *Quod nomen eius, quid dicam?* Respondebatur ei, אהיה *ehieh, Dominus Deus tetragrammaton* יהוה *misit me ad vos*; & si quærant, quod nomen tuum? Respondebis: לי מה שמו מה, *Mihi quid nomen eius quid*; id est, ex hisce terminalibus dictionum literis nomen meum aliud non esse intelliges nisi יהוה. Partes enim eius sunt יהו יה, quas si in interualla diuidamus, primum est יה, secundum ויה, tertium י, quasi diceres יהו; & sunt nomina ad essentiam Dei pertinentia: primum יה *Iah* habetur Exodi 15. *Fortitudo mea est laus mea* יה *Iah*: secundum ויהי *Vehi*, habetur in illo, ויהי לי לישועה, *Et factus est mihi in salutem*: tertium יהי *Iehi*, habetur Genes. 1. *Fiat lux*, ויהי אור, *& fuit lux*; quæ propriè Mundi opificium ac essentiam respiciunt: vnde nouies repetitur ויהי כן, *Et factum est ita.* E quibus quidem apertè cognoscimus, Dei nomen יהוה radicaliter sub hisce latere: Nam vti in sequentibus dicetur, Nomen Dei אלהים *Elohim*, solùm hisce sex diebus expressum reperimus: sed cùm Mundus iam esset perfectus, & post varia atque admiranda diuinarum virtutum opera consumata, tandem pro merito triumphus esset celebrandus, sextusque dies indicandus, tunc Elohim Tetragrammatum, Rex Regum, & Dominus dominantium incessit, & dictum est tunc primùm: *Iste sunt generationes cœli & terræ in die* בהבראם *quo* יהוה *Elohim tetragrammaton fecit cœlum & terram*; atque adeo hoc loco יהוה tetragrammaton nomen primò creaturis omnibus innotuit. Sed de his & similibus fusiùs tractatum vide in portis lucis, & fusissimè in portis iustitiæ R. Ioseph Karnitolis.

R. Ioseph Karnitol.

	א 1
כב 20	ל 30
מ 40	ה 5
ו 6	י 10
ו 6	מ 40
	י 10
	ה 5
	ו 6
	ה 5
112	112

	י 10
	ו 6
	ה 3
	ה 5
	א 1
	ו 6
	א 1
	ו 6
מ 40	ה 5
ה 5	א 1
45	45

Rursus si יהוה expanderis, ita vt י Iod quater, ה He ter, ו Vau bis, & ה He semel ponantur, & omnia in vnam summam reduxeris; inuenies 72, id est, nomen Dei 72 literarum, ad quod omnia Dei nomina veluti innumeri riui ad Oceanum, vnde profluunt, reducuntur. Innumera hoc loco huius generis arcana sub sacratissimo nomine latentia adducere possem; sed ne totum hisce tempus perdamus, Lector præter citatos paulò ante Authores, adire poterit R. Abraham in Iezirah, R. Hamai, Karnitol, Becchai, Ioseph Castilionensem, aliosque quos passim citabimus; & ex Latinis

יייי	40
ההה	15
ו ו	12
ה	5
	72

Latinis Galatinum, Georgium Venetum, Sixtum Senensem, aliosque innumeros.

§ III.

De Nomine Dei duodecim literarum, seu dodecagrammato.

INter cœtera Nomina Dei, celeberrimum quoque reperitur apud Cabalicos nomen Dei δωδεκαγράμματον sive duodecim literarum; non quòd vnum nomen reuera sit, sed quòd plura in vnum coniuncta vnum quid significent. Meminit huius inter cœteros innumeros Rabbinos Rambam l. 11. More nebuchim, vbi ita inquit:

R. Rambam.

ועוד למקבלים שם בן שנים עשר אותיות:

Erat apud eos adhuc aliud nomen duodecim literarum. Deinde verò sic dicit (Hebraicum ad verbum sic interpretor.) [Est autem in promptu quantum ad me, id quod ipse vehementer opinor, ipsum non vnum fuisse nomen, sed duo, vel tria nomina aggregata, quorum literæ duodecim erant. Et priores illi sancti Patres, quotiescunque in Sacra scriptura nomen quatuor literarum occurrebat, videlicet יהוה, ipsum cum duodecim illis literis pronunciabant, atque exponebant, quemadmodum hodie etiam illud cum quatuor hisce literis אדני Adonai pronunciamus. Illud tamen nomen duodecim literarum maioris proculdubio vnitatis significationem importabat, quàm id quod hoc nomen Adonai significat; neque illud quempiam scire prohibebant, quin potiùs quemcunque volentem illud discere, docebant: secùs fiebat de nomine quatuor literarum; neminem enim illud docebant, qui sciebant, nisi filios suos atque discipulos, qui tales essent, qui illud scire mererentur; & hoc semel duntaxat in hebdomade; cùm autem multiplicati essent in mundo homines, Hæretici atque peruersi mente, nomenque duodecim literarum didicissent; tùnc eo credulitatem corruperunt. Quamobrem Patres illi nomen illud duodecim literarum neminem vlteriùs docuerunt, nisi honestos & pudicos, qui erant in Sacerdotio, vt videlicet cum eo populo in sanctuario benedicerent. Postea verò prohibuerunt de Sanctuario exposiri nominis memoriam, propter malitiam scilicet filiorum hominum; quod immediatè post Simeonis iusti obitum accidit: (fuit autem is Simeon qui Christum vinis suis exceptum benedicere meruit:) qui & vltimus omnium fuit, qui cum nomine quatuor literarum populo benedixit.] Hactenus Rambam. Quale autem hoc nomen fuerit, & quomodo id ex nomine Dei tetragrammato emanet, videamus.

Nomen Dei 12. literarum non est vnum nomen, sed ex multis compositum.

Si enim Nomen Dei tetragrammaton secundùm leges combinatorias in octauo libro Musurgiæ nostræ vniuersalis præscriptas resoluatur (quod fiet, si ה primum locum sexies occupat, י verò ter, & ו ter;) nascentur duodecim combinationes seu varietates, non plures, id est, duodecim

יהוה	יהוה	יהוה	יהוה
הויה	הוהי	הוהי	הוהי
יהוה	יהוה	יהוה	יהוה
הויה	הויה	הוהי	הוהי

decim nomina Dei, quæ הויות *Hauioth* Hebræi vocant; quæ quidem omnia diuinæ essentiæ proprietates respiciunt, vt in hoc schemate patet. Duodecim igitur ista nomina vnum apud Cabalicos nomen efficiunt, tanquam vnius rei significatiuum, quamuis reuera duodecim nomina sint, diuinæ essentiæ rationem explicantia; quorum singulis ex sacra Scriptura clausulam, vel ex capitalibus, vel medijs, vel finalibus literis depromptam applicant, vt sequitur.

Duodecim הויות Hauioth comparatio ad loca S. Scripturæ, ex Pardes extracta.

1	Primum inuenitur in capitalibus literis istius Psalmi 95. v. 11.	1 ישמחו השמים ותגל הארץ:	יהוה
2	Inuenitur in illo Ierem: 9. 24.	2 יתהלל המתהלל השכל וידוע:	יהוה
3	Habetur in illo Exodi 26. v. 20.	3 ירות ולצלע המשכן השנית:	יהוה
4	Habetur in illo Iob 33. 27.	4 וכל זה איננו שוה לי:	הוהי
5	Habetur in illo Deuter. 9.	5 הסבת לשמע ישראל היום:	הויה
6	Habetur in illo Isa. 45.	6 וצדקה תהיה לנו כי:	הוהי
7	Habetur in illo Deut. 20.	7 וירא אותה שדי פרעה:	יהוה
8	Habetur in illo Deuter. 6.	8 ורבשה יום הזה יהוה:	יהוה
9	Continetur in illo Gen. 13.	9 ויבא יושב הארץ הכנעני:	יהוה
10	Continetur in illo Psal. 33. v. 4.	10 ליהוה אחי וגרוממה שמו:	הויה
11	Continetur in illo Isa. 12.	11 המר ימיר והיה חלא:	הויה
12	Habetur in illo Ier. 8.	12 עירה ולשורקה אני אתנו:	הויה

Horum nominum sex dicunt occulta, sex manifesta. Illa humano ingenio incomprehensibilia, hæc cùm fabricam respiciant, se explicant, latetque mysterium in punctis, quibus signantur citato loco; de quibus vide Pardes. Nomen porrò duodecim literarum aiunt Rabbini esse hoc quod sequitur, הקדוש ברוך הוא *Sanctus benedictus ille*; quod etiam per quatuor literas exprimunt sic, ה׳ ק׳ ב׳ ה׳; quo populo, vt postea dicetur, benedicere solebant prisci Sacerdotes. Veruntamen R. Hakadosch suprà citatus, altiùs & sublimiùs speculatus, hoc nomen duodecim literarum dicit

Exempla nominum Dei 12. literarum

R. Hakadosch

dicit esse illud quod sequitur: אב בן ורוח הקודש, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*; sed audiamus verba eius:

ולפיכך מזה השם המפורש הוא נגור שם שנים עשר אותיות כי הוא אב: בן: ורוח הקדש: אשר בלשוננו העברית שם שנים עשר אותיות נכתב כן:

Quamobrem ex hoc nomine Dei exposito, videlicet יהוה, *aliud nomen aeriuatur duodecim literarum, est*, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; quod in lingua nostra Hebraica scribitur duodecim literis*: Deduxit autem hanc tam arduam considerationem ex primo versu Geneseos בראשית ברא אלהים, *In principio creauit Deus &c.* vbi in voce ברא *bara* singulis literis tribuit vnam ex diuinis hypostasibus. Et quidem per א *Aleph* Patrem, per ב *Beth* Filium, & per ר *Resch* Spiritum sanctum denotat; quæ conficiunt duodecim literarum nomen אב בן ורוח הקודש, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*: quasi diceret: In principio Pater & Filius & Spiritus sanctus creauit cœlum & terram. idem deducit ex illo: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. vbi in voce אבן, quod lapidem significat, per אב *Ab*, Patrem, per בן *Ben*, Filium, & consequenter per vtriusque amorem Spiritum sanctum intelligit. Idem dodecagrammatum Dei nomen deducunt ex illo Isaiæ 65. vbi dicitur ויהיו מברכים בארני אמן, *& erunt benedicti in Deo* אמן *Amen*: Quærunt enim Cabalici, quid sibi velit illud אמן? Respondent idem esse, ac ארני המלך באמן, hoc est, *Dominus, Rex, fidelis*; nomen videlicet duodecim literarum, quarum trium dictionum capita monstrant אמן. Innumera huiusmodi sunt sacris characteribus comprehensa nomina, non solùm præteritorum complementa, sed & futurorum certa quædam præsagia, modò adesset qui ea non tam interpretaretur, quàm de ijs ratiocinaretur.

§. IV.

De Nomine Dei δωδεκαγραμμάτῳ, *siue 22 literarum, quo Sacerdotes olim populo benedicere solebant, ex mente Rabbinorum.*

TRadunt Cabalici, Sacerdotes Hebræorum olim benedictionem suam peregisse per nomen Dei tetragrammaton, hoc pacto; nempe tribus medijs digitis dextræ manus extensis, veluti tribus יוד, pollice verò & auriculari digito incuruatis aliquantulum, ita vt inclinatio duorum digitorum ה formaret; atque adeo tres digiti medij cum duobus extremis inclinatis nomen Dei יה, יה, יה, tertiò non sine altissimo mysterio, teste Rambam, exprimerent. Erat enim ille typus quidam benedictionis per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum in lege gratiæ dandæ fidelibus, vt videlicet respicerent ad illud Exodi 3. v. 4. אהיה

Sacerdotes Hebræorum qua manus configuratione olim dederint benedictionē populo.



אהיה אשר אהיה כה תאמר לבני ישראל אהיה שלחני אליכם:

Hoc est; *Ego sum qui sum; sic dices: qui est, misit me ad vos*, quasi per tertio repetitum אהיה manifeste diceret אני הוא יה, Ego sum ille Deus; ego ille Deus, sic dices, יהוה, qui est Deus, ipse misit me ad vos; trinus in vno, & vnus in trino. Nam per tres digitos erectos, tres diuinas hypostases, quas ipsi ספירות עליונות, tres supremas numerationes dicunt, notabant; per duos extremos digitos inclinatos depressosque ה, per manum verò totam paulò inclinatam ו Vau literam, atque adeò totum nomen יהוה tertiò repetitum, manu in similitudinem literarum tetragrammati contortâ, exprimebant: & per ה diuinæ essentiæ vnitatem, per יי Sacrosanctam Triadem, per ו personarum nexum; vel etiam per י Patrem, per ה Filium, per ו Spiritum sanctum typice indicabant. Reperio quoque, vnico digito erecto, qui index dicitur, in quo tria internodia triæ iod exprimebant, veteres iuramentum præstitisse; quam consuetudinem & Pythagoram, digito elato per tetractyn iurare solitum, in scholam suam transtulisse verisimile est. Cùm verò prauorum hominum abusu nomen Dei tetragrammaton, tantâ primò curâ & sollicitudine, tantâ reuerentiâ, electissimis quibusuis, septimo quoque anno, vt per id in Sanctuario populo benedicerent, traditum vilesceret; ad maiestatem tanti nominis conseruandam, eius in benedictionibus solennioribus vsus Sacerdotibus interdictus fuit; solisque summis Pontificibus quotannis permissa erat eius pronunciatio in diebus ieiunij & propitiationis. Quare illius loco duodecim literarum nomen, quod aliquantò sacratius esset, quàm nomen Adonai, tetragrammato verò ineffabili minùs arcanum, in benedictionibus perficiendis substituerunt. Fuit autem nomen substitutum duodecim literarum, hoc: הקדוש ברוך הוא, quod vt tetragrammaton aliquo modo exprimeret, quatuor literis capitalibus illud formabant hoc pacto ה'ק'ב'ה.

הקדוש ברוך הוא:

Id est, *Sanctus benedictus ille*; per quod benedictionem à Deo Numerorum 6. v. 24. mandatam super populum pro tetragrammato ita proferebant יברכך יהוה וישמרך, *Benedicat te sanctus benedictus ille, & custodiat te*; יאר יהוה פניו אליך ויחנך, *ostendat sanctus benedictus ipse faciem suam tibi, & misereatur tui*, ישא יהוה פניו אליך וישם לך שלום, *ponat sanctus benedictus ipse faciem suam ad te, & ponat tibi pacem*. Quo in loco Rassi, id est, Rabbi Salomon Ben Iarrhi in Numerorum 6. ita scribit.

לכן הכהנים פורשים ידיהם למעלה ומברכים ישראל לאמר הקב"ה עומד אחריכו שנאמר הנה זה עומד אחר כתלינו משגיח מן החלונות: ומבין אצבעות של כהנים:

R. Salomon Ben Iarrhi.

Itaque Sacerdotes distendunt manus suas dicendo: Sanctus benedictus ille stat post nos, sicuti scriptum est; En ipse stat post parietem nostrum, aspiciens de fenestris inter digitos Sacerdotum.

Pardes tamen dicit, non tantùm in nomine Dei duodecim literarum benedictionem peractam esse à priscis Sacerdotibus, sed & alio mystico nomine viginti duarum literarum; vt sic ad omnia Dei nomina sub 22. Hebraici Alphabeti elementis comprehensa alluderent. Erat autem nomen 22. literarum, vt sequitur.

Nomen 22 literarum, quo benedicebant veteres.

אנקתם פסתם פספסים דיונסים:

Deionesim Paspasim Pastam Ankatam

Extractumque fuerat ex illo citato Numerorum 6. v. 24.

יברכך יהוה וישמרך יאר יהוה:

Id est, *Benedicat tibi Deus, & custodiat te, ostendit Deus.* qui quidem versus pariter est 22. literarum.

Forma Computationis hæc est:

Textus Num. 6. v. 24. ex quo extrahitur sequens.

יברכך יהוה וישמרך יאר יהוה:

Nomen 22. literarum extractum.

אנקתם פסתם פספסים דיונסים:

Extractio hæc peracta fuit ex varijs Alphabetorum reuolutionibus eo modo, quo in sequentibus demonstrabitur; vnde hic eas consultò omisimus. Lector quoque adire poterit Pardes, vbi fusè omnia & exactè tractantur. Vtilitatem verò, quæ ex huius nominis in benedictionibus prolatione emergebat, hisce verbis describit citatus Pardes.

Pardes.

ופירשו המפרשים בשם זה כי כל א' מארבע שמות הנזכרות יש לו סגולת בפני עצמו הא' אנקתם והוא טוב להשמיע יהוה תפילת ופי' שומע אנקה המים הב' פסתם הוא נותן פסת פר לצורכים מזון: הג' פספסים מלשון ופשה לו כתנת פסים והוא נותן בגד ללמש: הד' דיונסים והוא עשה נסים ונפלאות ובחם נשחמש יעקב אבינו שנא' ונותן לי לחם לאכול ובגד ללבוש באות' אם יהיה אלהים עמדי ושמרני:

Id est, *Dicunt autem interpretes huius nominis, quod vnumquodque ex quatuor nominibus hisce memoratis habet proprietatem singularem. Primum nomen* אנקתם Ankatham, *illud bonum est, vt Deus exaudiat orationes, iuxta illud, exaudiens gemitum simplicium. Secundum est* פסתם Pastam, *illud dat particulam frumenti indigentibus alimentum. Tertium est* פספסים Paspasim, *iuxta illud,* & *fecit ei tunicam polymitam; dat enim vestes ad induendum. Quartum est* דיונסים Dionesim, & *illud facit signa & mirabilia magna, eoq; vsus est Iacob pater noster, quando dixit: si dederit mihi panem ad manducandum;* & *vestes ad induendum, iuxta literam, si Deus mecum,* & *custodierit me.* Putant itaque benedictione per hoc nomen 22 literarum peractâ Deum primò facilè exaudire preces supplicantium; secundò concedere alimentum siue frumenti

abundantiam; Tertiò vestitus subministrationem; Quartò mirabilium perpetrationem, omnia in virtute nominis Dei tetragrammati יהוה, quod implicitè continet; at superstitiosè vt solent. Sed his explicatis iam ad nomen Dei 42 literarum procedamus.

§ V.

De Nomine Dei quod τεσσαρακονταδυαγράμματον, *siue 42 literarum dicitur, ex mente Rabbinorum.*

EX Nomine Dei tetragrammato aliud nomen τεσσαρακονταδυαγράμματον, siue quadraginta duarum literarum deducunt, per Gametricam artem, siue κατὰ ἰσοψηφίαν: si enim nomen Dei יהוה expandas hoc pacto יוד ה וו ה, *Iod, He, Vau, He,* expansumque in numeros resolueris, prodibunt 42, vt in margine patet: 42 verò characteres per talia nomina sic coniuncti, vnum dicuntur nomen, eò quòd vnicam tantùm rem respiciant. Secus fit de alijs nominibus compositis & simul coaceruatis: cùm enim ratio illa, qua intellectus fertur in Deum, non nisi multis & literis & verbis explicari potuerit; mirum non est, veteres multorum verborum ex sacris literis opportunè decerptorum congeriem, sub vnius nominis expositione exhibuisse: vti enim Deus Opt: Max: omnia ex inexhausta fontis sui abysso emanare, & ad infinitam originem refluere fecit; sic æquum est, aiunt, vt homo per varios diuersosque riuorum canales, diuini fontis scaturiginem inquirat. Quæ pulchro sanè, & pleno arcanorum pronunciato nobis ostendit R. Hammai in libro עין, id est, *speculationis*, his verbis:

י	10
ו	6
ה	4
ו	5
ו	6
ו	6
ה	5
	42

Nomen Dei 42. literarum

R. Hammai.

להוציא דבר במאמר ומאמר בדבר עד לעמיד כל הדברים במעיין השלחבת והשלחבת במאמר במעיין אין חקר ואין מספר לאורה המתעלמת בתוכפת החשך המסותרות בכלל ארבעים ושתים אותיות:

Egit igitur Deus, vt produceret rem in verbo, & verbum in re, quousque restitueret omnes res in fontem fulgoris, & fulgorem in verbum tanquam fontem, cuius nec terminus sit, nec numerus, ad lucem absconditam augmento tenebrarum latentem in vniuerso 42 literarum. Quæ verba, vtpote obscuriora, sic interpretor: Deus omnia vti in verbo suo constituit, quod est fons lucis seu fulgoris incomprehensibilis & infiniti, ita ideas quoque rerum omnium posuit; lux autem hæc inaccessa & abscondita, in tenebrarum abysso diuinarum latitans, Deus inquam benedictus, omnia sapientiæ suæ virtute Mundo huic largitus est per creationem; per ipsum enim Verbum *omnia facta sunt,* & *sine ipso factum est nihil,* & *quod factum est, in ipso vita erat,* & *vita erat lux hominum.* Totum hoc mysterium latet sub 42 literarum nomine; vnde & à sapientibus hoc nomen vocatur קדוש ומקודש, *sanctum & sanctificatum*; ideoque per Alphabeticæ reuolutionis

tionis commistionem rudibus indignisque occultatum, atque Sanctis tantùm per Ieremiam Prophetam ex Alphabetaria reuolutione, vt aiunt, reuelatum est; qui sæpè solebat legere & reuoluere librum creationis; qui dicitur ספר יצירה Ietsirah, vti scribit Rabbi Iuda in libro בטכון Batachon, hoc est, de spe. *Cùm enim Ieremias*, ait Author, *librum Ietzirah multùm & sæpe nocturnâ diurnaq; manu versaret, dicitur ad eum venisse* בת קול *bat kol, filia vocis* (sic reuelationem nominant) *quæ tribus annis eum dicto libro insudare iubebat. Quibus elapsis, cùm iam ei literarum placeret coniugatio, dictusq; tractatus, vt eius opè mirandâ exequeretur; ecce mox ipsi, eiusq; affectio nouus se homo exhibuit, cuius frons hæc verba præferebat:* יהוה אלהים אמת, *Tetragrammatus Deus verus. Sentiens autem dictus nouiter creatus homo scripturam in fronte, extensa manu primam in voce* אמת *literam, videlicet* א *deleuit, mansitq; hic sensus,* יהוה אלהים מת, *Tetragrammatus Deus mortuus. Quare Ieremias indignatione perculsus scidit vestimenta sua dicens; quare tu deponis* א *Aleph ab* אמת *Emech? respondit, quoniam defecerunt vbique à fidelitate Creatoris, quinos creauit ad imaginem & similitudinem suam. Respondit Ieremias; quomodo igitur apprehendemus eum? respondit ille:*

Ieremiæ Prophetæ memorabilis euentus. R. Iuda.

כתבו האלפאביתות למפרץ באותו העפר הנורק בבונות לבבכם:

Scribite Alphabeta ad spacium in hunc puluerem dispersum iuxta intelligentias cordium vestrorum; & fecerunt ita. Et factus est dictus homo in horum conspectu puluis & cinis, atque sic disparuit. Hæc an historia, an fabula sit, nescio; certè pulchrè Christo applicari possent; Est enim Christus יהוה אלהים אמת, *Tetragrammatus Deus veritatis*, iuxta quod ipse de se fatetur, *Ego sum via, veritas, & vita.* Verùm cùm humanum genus primæui delicti labe inquinatum à Deo viuo & vero recessisset; tanta ruina neutiquam reparari potuit, nisi per Dei mortem; & ideo deleta litera א in אמת, *veritatis*, mansit מת, hoc est, יהוה אלהים מת, *Tetragrammatus Deus mortuus est*, vt veritatem & salutem per peccatum ablatam, morte suâ humano generi, & hoc Deo restitueret. Quare dicunt Cabalici, Ieremiam ex eo tempore ab ipso Deo virtutes Alphabetorum, elementariumque combinationum potestates accepisse. Nam dispositionem coniugationis de libro Ietzirah iam antè eum cognouisse asserunt; inde ad posteros Alphabetaria hæc receptio, per quam, vt ipsi putant, arcana maxima panduntur, deuoluta est. Quale autem hoc nomen quadraginta duarum literarum sit, & vnde deriuetur, pandamus.

Applicatio allegoriæ ad Christum.

Sapientes & periti in Cabala Magistri, vt habetur apud Iochaidem, inuestigaturi huiusmodi nomina, primò magnâ animi dispositione sacro se textui applicare solent; tum omnes literarum in Tabula Ziruph contentarum combinationes à primo vsque ad vltimum elementum summâ fide, spe firmâ, & amore ardenti scrutantur; quâ dispositione præuiâ, aiunt, Deum, si eos dignos, & mentis puritate insignes repererit, corda illorum superno diuini luminis radio collustrare, voluntati scrutantium facul-

Origo nominis Dei 42. literarum. Iochaidis.

facultates offerre, & clementer subijcere; ac tandem eos hoc pacto voti sui in nominis diuini inuentione compotes fieri. In quo tamen superstitiosiùs quàm opus esset, omnia peragunt. Modus autem scrutinij is erat, qui sequitur. Primò 42 literas in 7 verba hectasyllaba partiebantur; deinde quodlibet verbum in duas dictiones, quarum singulæ iuxta linguæ sacræ proprietatem, ternas literas continebant: ductis itaque 6 in 7, proueniebant 42, literarum scilicet eius nominis vniuersa collectio; eisque inter alia innumera vnum hoc quod sequitur.

4 רמי פתא 24 23 22 21 20 19 *patha Iemi*	3 מיח איצב 18 17 16 15 14 13 *etsab Miat*	2 שגח תבץ 12 11 10 9 8 7 *thebats Schagath*	1 שגח במא 6 5 4 3 2 1 *bama Schaga*
	7 צאץ פפש 42 41 40 39 38 37 *papasch Tsats*	6 חגח צמא 36 35 34 33 32 31 *tsama Thega*	5 צחג חפץ 30 29 28 27 26 25 *chapaz Zethag*

Sunt igitur omnia hæc septem hectasyllaba nomina vnum nomen Dei ex 42 literis constitutum. Putant Mekubalim superstitiosiores, huiusmodi tantâ virtute esse imbuta, vt nihil vsui eorum appropriato denegatum iri existiment. Cùm enim originem suam in Sacra scriptura habeant, voce Dei prolata; Deo, ob summam abstractionem, quam à terrenis, materialibus, sensibilibusq; rebus habent, illa placere, & consequenter cum recta intentione, fide firma, & ardenti charitatis affectu portata prolataque, id quod intenditur, certò impetrare arbitrantur. Amplexus est hanc doctrinam Picus in suis Conclusionibus, cùm dixit: *Quelibet vox Hebræica virtutem habet in Magia, in quantum Dei voce formatur.* Ego verò illa nequaquam vsurpanda existimem, nisi in quantum ab Ecclesia diuinorum eloquiorum interprete approbata fuerint. Vnde relictis portentosis huiusmodi nominibus, audiamus R. Hakadosch, qui eadem meliùs interpretatus est hâc verborum periodo.

Superstitio Hebræorum circa nomina Dei 42 literarum.

Picus Mirandulanus Superstitiosè Hebræorum doctrinam approbat.

Author eam reprobat.

R. Hakadosch

ולפי שאינו נמצא שום דבר באל אשר לא יהיה אל משם שנים עשר אותיות
משתעף שם ארבעים ושתים אותיות אשר הוא אב אלהים בן אלהים רוח הקדש
אלהים שלשה באחד אחד בשלשה אשר בעברית הם ארבעים ושנים אותיות מראות
השם הנזכר ודעי אלה השמות היות מהסודות האלהים אשר ראוי להסתירם מכל
אחר עד שיבוא משיח צדקנו גליתים לך ואתה הוקם בסוד:

Id est, *Quoniam verò nihil in Deo, quod non sit Deus, ex nomine duodecim literarum, emanat nomen 42 literarum; quod est, Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, trinus in vno, & vnus in trino, quæ in Hebraico 42 literæ. Notare autem debes, hæc nomina esse ex diuinis arcanis, quæ à quocunque occultari debent, quousq; veniat Messias iustus noster. illa tibi patefeci, tu verò ea occulta fortiter.* Nomen igitur 42 literarum rectè statuitur à Rabbenu Hakadosch illud quod sequitur.

אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד
אחד בשלשה:

Nomen Dei 42 literarum iuxta R. Hakadosch.

Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, Trinus in vnitate, & Vnius in trinitate. In hisce 42 literis licet expositio varietur, sensus tamen semper idem manet: Prisci enim illi Patres Prophetarum discipuli & successores, etsi hoc diuinum nomen varie exponerent, omnes tamen in vnum & eundem sensum collimabant, Sacrosanctæ Triadis personas omninò exprimentes; quarum vnamquamque Deum, non tres tamen Deos asserebant. Recentiores verò Rabbini, vt sibi tam contrariam doctrinam eludant, Rabbenu Hakadosch suppositititium appellant, & quibuscunque possunt modis, nequiter occultant, ne cœci videant; & dum illud ignorare volunt, meritò à Deo repudiantur, minimè digni, qui à Deo in orationibus suis exaudiantur; quod & R. Iuda super illud Psalmi 91. *Exaltabo eum, quoniam cognouit nomen meum*, his verbis aperte docet:

R. Iuda.

מפני מה מתפללו ישראל בעולם הזה ואינן נענין על
ידי שאינם יודעים בשם המפורש אבל לעתיד לבוא הקדוש
ברוך הוא מודיען:

Quare Israël in hoc mundo orat, & non exauditur? propterea nimirum, quoniam nesciunt nomen Hemmamphoras. futurum autem est, vt Deus sanctus & benedictus doceat eos, iuxta illud; tum sciet populus meus nomen meum, tunc verè orabunt, & exaudientur. scilicet tempore Messiæ, veri & vnigeniti Filij Dei, qui discipulos suos, in ijsque Ecclesiam hoc Sacrosanctum Triadis mysterium perfectè docuit, iuxta illud: *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.*

Expositio nóminis Dei 42 literarum.

Sed ad institutum nostrum reuertamur. Nomen Cabalicum 42 literarum, vt plurimùm ex certis Sacræ scripturæ locis, per varias Ziruph siue combinationis regulas deductũ componebatur. Cùm verò hoc Opere abstrusarum rerum interpretem agam, & illud à nemine hucusque traditum sit, & res ne quidem ab ipsis peritissimis Rabbinis intelligatur; artificium hoc loco perfectè primus tradam, vt modus & ratio in similibus procedendi curiosioris doctrinæ auidis constet, & de nominum vi & efficacia deinde quisque exactiùs, quid tenendum, quid reprobandum, iudicare possit; adeoque superstitiosarum actionum radices erutæ in lucem ad cautelam educantur. Veruntamen quandoquidem sine præuia combinatoria tabula, quam ipsi Ziruph vocant, dictorum nominum notitiam neutiquam consequi licet; primò de combinatoria tabula Ziruph, quæ tertia Cabalæ pars est, quam & Themurah, id est, commutationem vocant, exactè agam, vt nihil sit, quod in hoc Oedipo omisisse videamur rerum abstrusarum.

CA-

CAPVT V.

De Tabula Ziruph siue Combinationis Alphabetorum Hebraicorum.

LEgitur in libro Ietsirah sect. 4. בר"לא *Berlá*, (quæ vox numerum continet 231. reuolutionum.)

Liber Ietsirah

עשרים ושתים אותיות יסוד קבועות בגלגל שערים בר"לא וחזר הגלגל פנים
ואחור וזהו סימנו לדב אין בטובה למעלה מענג ואין ברלח למטה מנגע כיצד שקלן
והמירן אלף עם כולם וכולם עם אלף בית עם כולם וכולם עם בית וחזרת חלילה
נמצא כל היצור וכל הדיבור יוצא בשם אחד:

Viginti & duæ literæ fixæ in 231 portis, & vertitur Orbis antè & retrò. Huius rei signum est, in bonis nihil supra ענג; *& in malis nihil supra* נגע. *Et hoc ita. ponderauit & mutauit* א *cum omnibus, & omnes cum* א: ב *cum omnibus, & omnes cum* ב. *& retrouertitur quoque hac ratione; inde patet, omnes creaturas, & omnia idiomata emanare ex nomine vno.* Viginti & duæ literæ sunt literæ Alphabeti Hebraici; 231 portæ sunt reuolutiones, quibus dictum Alphabetum commutari & combinari potest. Exemplum huius rei ponit in duobus nominibus ענג & נגע; quorum illud optima quænis, hoc percussionem, id est, passionem indicat; & tandem modum combinationis indicat, combinando videlicet primam literam א cum omnibus cœteris, & cœteras omnes cum א; non secùs de ב, ג, ד, statuendum indicat. Est autem non parua differentia inter Ziruph & Themura: Ziruph enim attendit solùm ad reuolutiones Alphabetorum; Themura verò ad transpositiones literarum. Sed audiamus Authorem Pardes, qui scitè sanè ea describit subiectis verbis:

Explicatio loci libri Ietsirah.

Differentia inter Ziruph & Themurah.

Pardes.

ויש חילוק בין צירוף לחמורה בגבוה שמים על הארץ וחשעם כי הצירוף לא
השתפכנה אבני קדש ולא התהפכנה מאותיות אלו ה' במו גלגל המתגלגל וחוזר
מראשו לסופו ומסופו לראשו ועושה ראש חוך וחוך וראש וסוף חוך וחוך סוף
והאותיות מעולם לא ישתנו ואף אם משתנה סדרם אבל החמורה הוא חלף האותיות
בכ"ב אלפי ביתות כאשר נבאר במו משל שם יהוה אלהינו יהוה המתחלף
בא"ב ג"ד כוזו במוכסן כוזו ובא"ת ב"ש מצפץ תכצמטף מצפץ וכן בשאר
אלפאביתות עד כ"ב:

Est autem differentia inter Ziruph & Themuram tanta, quanta altitudo cœli & terræ: ratio, quia Ziruph non transmutat & peruertit ordinem literarum, sed sicuti rota voluitur & gyrat à principio ad finem suum, & ex fine suo ad principium suum, & facit principium medium, & medium principium, & finem medium, & medium finem, & literæ nunquam mutantur, etiamsi ordo earum peruertatur. Veruntamen Themura mutat literas in 22 Alphabetis, sicuti explicabimus. Exempli gratia, יהוה אלהים יהוה, *Deus Dominus noster Deus, mutat per Alphabetum* אב גד Abgad *dicta nomina in* כוזו במוכסן כוזו, *& per Alphabetum* אתבש Etbasch *in* מצפץ תכצמטף מצפץ, *& sic fit in reliquis Alphabetis vsq; ad* 22; Est modus hic ex Gametria, vti exponemus, depromptus; Gametria enim subinde mutat literas, non attendendo ad numerum earum;

sub-

ſubinde enim ex tribus literis facit quatuor, & ex quatuor tres. Procedunt autem in tabularum Ziruphicarum ſtructura, varijs modis, quos Author Pardes fuſe proſequitur, quarum duas tantùm hoc loco aſſignabimus, nam omnes reliquæ ſub hiſce duabus comprehenduntur. Prima Tabula bipartita eſt, & vocatur Rota gyrans à parte antè גלגל חוור פנים; altera conuerſa גלגל חוור אחור, Rota gyrans retrò. Vtraque Rota ex Pardes ſic ſe habet; Ponit in circuitu 2 Orbium, quorum vnus in altero continetur, 2 Alphabeta; deinde applicat ordine interiorem circulum mobilem, ſuper maioris immobilis ſingulas literas, ordine conſequentes; v. g. ת ſuper ב. & ש ſupra ג. & ר ſupra ד. &c. ita vt ſemper literas in interiori circulo ſcriptas, retrogrado ordine applicet literis immobilis circuli directo ordine conſtitutis; & ſic combinationes literarum eodem ordine, quo in Tabula paulò poſt proponenda, conſtituuntur.

Atque vt huius exemplum videas; per primum Alphabetum huius rectum Pardes hæc nomina יהוה אלהינו יהוה, commutat in hæc בחוד במוכסן quæ indicant Deum in vnitate eſſentiæ eſſe ita vnum, vt magis vnus בחוד: eſſe non poſſit.

Libri Ietſirah Author eſt R. Akibas.

Altera Tabula magis vſitata, dicitur Tabula Ziruph, ſiue combinationum, eſtque ex libro Ietſirah (quem tametſi Hebræi Abrahæ Patriarchæ perperam attribuant, ſenſatiores tamen Scriptores meliori iure Authorem eius faciunt R. Akibam vetuſtiſsimum Scriptorem) deducta; artificium verò combinationis literarum, ſiue aſſociationis duarum quarumuis literarum in ordine ad diuina nomina, ſecretioreſque ſacri textus ſenſus inueſtigandos, non ſine ingenio eſt diſpoſitum; cuius Tabulam hîc ſubijcimus.



Ta-

Tabula Ziruph Latino-Hebræa ex mente Cabaliſtarum.

XI.	X.	IX.	VIII.	VII.	VI.	V.	IV.	III.	II.	I.		
cm מכ	in ני	ts טס	cghע	zf צפ	urf רצ	hq הק	dr דר	glc גש	bth בת	al אל	1	Albarh
lm למ	cn כנ	is יס	tghע	chf חפ	ztf זצ	uq וק	hr הר	dlc דש	gtl גת	ab אב	2	Abgath
bm במ	ln לנ	cs כס	igh יע	tf טפ	chz חז	zq זק	ur ור	hlc הש	dtl דת	ag אג	3	Agdath
mn מנ	ls לס	cghע	if יפ	rtf רצ	chc חכ	zr זר	ulc וש	hth הת	bg בג	ad אד	4	Adbag
gn גנ	ms מס	lghע	lcf לכפ	tf טצ	rq רק	chr חר	zlc זש	uth ות	bd בד	ah אח	5	Ahbad
nl נל	mgl מע	lf לפ	ctf כצ	iq יק	tr טר	chש חש	zh זח	gd גד	bh בה	au או	6	Aubah
rf רפ	ngh נע	mf מפ	ltf לצ	cq כק	ir יר	tlc טש	hth הת	gh גח	bu בו	az אז	7	Azbu
sgh סע	nl נל	mש מש	lq לק	cr כר	ilc יש	tth מת	dh דח	gu גו	bz בז	ach אח	8	Achbaz
hgh הע	sl סל	mtf מצ	mqמק	lr לר	clc כש	ith ית	du דו	gz גז	bch בח	at אט	9	Atbach
ghf עפ	stf סצ	nq נק	mr מר	lc לש	cth כת	hu הו	dz דז	gch גח	bt בט	ai אי	10	Aibarh
uf ופ	ghtf עצ	lq לק	nr נר	mlc מש	lth לת	hz הז	dch דח	gt גט	bi בי	ac אכ	11	Achbi
ftf פצ	ghq עק	lr לר	nlc נש	mt מת	uz וז	hch הח	dt דט	gi גי	bc בכ	al אל	12	Albach
ztf זצ	lq לק	ghr ער	nlc נש	nth נת	uch וח	ar חר	dir די	gc גכ	bl בל	am אמ	13	Ambal
tsq צק	fr פר	ghf עפ	lth לת	zch זח	ut וט	ir יר	dc דכ	gl גל	bm במ	an אנ	14	Anbam
chq חק	tfr צר	plc פש	ghtf עצ	zt זט	ui וי	hc חכ	dl דל	gm גמ	bn בנ	as אס	15	Asban
qr קר	tlc צש	pth פת	cht חת	zi זי	uc וכ	hl חל	dm דמ	gn גנ	bs בס	agh אע	16	Anghbas
tr טר	qlc קש	rtf רת	chi חי	zc זכ	ul ול	hm חמ	dn דנ	gs גס	bgh בע	af אפ	17	Afbangh
rlc רש	qtf קצ	i יי	chc חכ	zl זל	um ום	hn חנ	ds דס	gghע	bf בפ	atf אצ	18	Atsbaph
ilc יש	rth רת	lc לכ	chl חל	zm זם	un ון	hs חס	dgh דע	gf גפ	btf בצ	aq אק	19	Aqbats
ith ית	lc לכ	tl טל	chm חם	zn זן	us וס	hgh הע	df דפ	gtf גצ	bq בק	ar אר	20	Arbaq
cth כת	il כל	tm טם	chn חן	zs זס	ugh וע	hf הפ	dtf דצ	gq גק	br בר	alc אש	21	Alchbar
cl כל	im כם	tn טן	ch חס	zgh זע	uf ופ	hrf הצ	dq דק	gr גר	blc בש	ath את	22	Athbalch

Ex his patet primò, hanc Tabulam non eſſe iuxta quadraturam ſuam completam, ſed poſt vndecimam reuolutionem retrotortam. Nos, vt ij qui Hebraicæ linguæ imperiti ſunt, nonnullum vſum huius combinatoriæ Tabulæ aſſequerentur, Latinam Tabulam interſeruimus, in qua quantum Latinarum literarum ad Hebraicas affinitas permiſit, ſingulæ duæ combinatæ literæ ſingulis binis coniugatis ex Hebraicis, exactè reſpondent.

Notandum autem, eſſe hîc poſita 22 Alphabeta, quorum aliqua recta, vti primum, omniumque ſimpliciſſimum quod ſequitur, quod nullam in Alphabeto mutationem ſubit, ſed literas tantùm literis ordine naturali conſequentibus connectit, vt hîc patet.

Alphabetum primum simplicissimum & rectissimum, ordine naturali progrediens, cui Latinæ literæ respondent.

שת	קר	פצ	סע	מנ	כל	טי	וח	הו	גד	אב
th sc	r q	tsf	gh f	nm	l c	i t	chz	uh	dg	b a

Vides in hoc Alphabeto ordine naturali duas quaslibet literas coniungi; quod sicuti nullam commutationem facit, ita quoque passim à Kabalistis negligitur. Reliqua 21 Alphabeta partim recta sunt, partim transposita, & mutata. Recta sunt, quæ ordinem literarum tàm anticum, quàm posticum, naturalem exhibent; vti sunt 1 & 21 Alphabeta; reliqua intermedia aliquousque continuant easdem, & deinde turbato ordine alias leges ineunt. Singula verò hæc 21 Alphabeta, nomina sua à primis duabus coniugatis literis sortiuntur. Sic primum Alphabetum vocant אלבת *Albath*, secundum *Abgath* à binis paribus literarum אבגת, tertium אגדת *Agdath*, quartum אדבג *Edbag*, & sic de cœteris, vsque ad vigesimum secundum Alphabetum, quod אתבש *Ethbasch* vocatur. Quænam verò huius Tabulæ dispositio sit, & quâ industriâ à Rabbinis disponatur, videamus.

Author Pardes per quatuor rotulas id præstat, quorum singulis in circuitu Alphabetum Hebraicum, tribus primis recto, quarto, retrogrado ordine inscriptum est; sed nos vti faciliori, sic meliori methodo, negotium expediemus hoc pacto.

Regula prima. Pro Alphabeto primò scribantur ordine vndecim literæ Hebraicæ ab א vsque ad כ, & à כ incipiendo eidem supponatur מ loco ל, quod in primum locum commigrauit, & sic reliquas literas ordine superioribus literis subscribes, vt patet.

Alphabetum primum Albath.

חגלגל
חוזר פנים
ואחור:

11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1
כ	י	ט	ח	ז	ו	ח	ד	ג	ב	א
מ	נ	ס	ע	פ	צ	ק	ר	ש	ת	ל

Si deinde singulas literas, id est, superiorem inferiori coniunxeris, prodibit Alphabeti combinatio, vt vides.

אל בת גש דר הק וצ זפ חע טס ינ כמ

In secunda combinatione ponatur Alphabetum hoc ordine qui sequitur.

אב

א ג ד ה ו ז ח ט י כ ל
ב ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ

Vides literas omnes hîc ordine procedere & recedere, excepto ב, quod subscriptum ש, ne connexum cum præcedenti combinatione בת coincidat. Si itaque singulas superiores inferioribus coniunxeris, habebis alterum Alphabetum, vt sequitur *Abgath* dictum.

אב גת דש הר וק זצ חפ טע יס כנ למ

Alphabetum 2. Abgath.

Pro tertia combinatione literarum disponatur Alphabetum hoc pacto:

א ד ה ו ז ח ט י כ ל ב
ג ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ

In hoc Alphabeto ב reijcitur in vndecimum locum, ne coincidat cum בת, quæ est combinatio secundæ columnæ. Si itaque literas ordine singulas superiores cum inferioribus coniunxeris, habebis Alphabetum *Agdath* quæsitum, vt sequitur.

אג דת הש ור זק חצ טפ יע כס לנ במ

Alphabetum 3. Agdath.

Pro quarta combinatione literarum disponatur Alphabetum hoc modo, vt nomen combinationis אד בג primò ponatur, vt sequitur.

א ב ה ו ז ח ט י כ ל מ
ד ג ת ש ר ק צ פ ע ס נ

Hæ ordine coniunctæ literæ superiores cum inferioribus dabunt quartum Alphabetum *Adbag*, vt sequitur.

אד בג הת וש זר חק טצ יפ כע לס מנ

Alphabetum 4. Adbag.

Non secùs in cœteris Alphabetis disponendis, vt combinationis negotium compleas, procedes; diligenter interim notando, vnam literam ordine semper alterno in primis literis omissam, & in 11. columnam reiectam esse; quod ideo factum, ne eodem semper literarum ordine retento, quædam combinationes sæpiùs occurrerent; quæ combinationum identitas maximè per hanc artificiosam literarum dispositionem vitatur. Sic vides in primi Alphabeti prima combinatione ל locum vndecimum, qui ei competebat, cum primo commutasse. In tertia combinatione

אגבת

אגרת vides ב secundum locum in vndecimum commutasse, in locum eius subrogato ג; sic enim poscebat lex combinationis, nè vox אב bis repeteretur. In quarta combinatione *Adbag*, omnes quidem sibi constant, sed quatuor primæ tantùm transpositæ sunt; post ד, א, & post ב, ג, cœtera eodem ordine, quem in præcedentibus ostendimus, rectè procedunt. In quinto ordine omissum ג reijcitur in vndecimum locum; In septimo ז; in 9. ח; in 11. ו; in 13. ז; in 15 ח; in 17. ט; in 19 י; in 21 כ. Omnes hæ literæ in Alphabetis numerorum imparium ordine naturali mutato in vndecimum locum, recedunt; Alphabeta verò numerorum parium, primis quatuor literis transpositis, & reliquis recto ordine se consequentibus, procedunt, vti ex tabula patet; Et sic proceditur vsque ad vigesimum secundum Alphabetum, quod אתבש *Etbasch* dicitur, estque omnium dictorum Alphabetorum celebertimum & vsitatissimum, cuius dispositio ea est quæ sequitur.

Alphabetum אתבש expansum.

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ ל

Coniunge singulas literas superiores cum inferioribus, & habebis quæsitum Alphabetum *Etbasch*, vt sequitur.

את בש גר דק הצ ופ זע חס טנ ימ כל

Confutatio.

Atque hæc est celeberrima illa tabula Ietsirah, quam Rabbini superstitiosiores tanti faciunt, vt omnia eius ope se rimirari posse credant; nos verò inter postrema combinatoriæ artis eam reponimus. Vocant autem combinationes in magno illo Alphabeto 242 portas, quæ ex multiplicatione 11 in 22 emergunt; quamuis ipsi seriem vnam tollant, id est, primam omnium simplicissimam vndecim combinationum, ita vt 231 tantum portis vtantur, per quarum introitum ad quæuis in Sacra Scriptura arcana latentia se penetrare posse existimant. Quòd si singulis literis diuersum ex omnibus locum dent, id est, si 22 literas inter se combinârint, fiet summa inconceptibilis, vt sequitur.

Summa combinationis Alphabeti Hebraici 22 literarum.

1124000727777607680000.

Quam summam multi putant tantam esse, quanta est creaturarum omnium à Deo conditarum varietas. Sed hoc falsum esse, & ex Rabbinica iactantia exortum, facilè is viderit, qui combinatoriam artem rectè intellexerit. Describit huiusmodi fusè Author Pardes, vti & R. Moyses Botrel in c. 2. Ietsirah. Addunt præterea dicti Authores 23 Alphabetum, quod à primis literis אלבם *Albam* vocant; perque huiusmodi seriem, Rassi & Kimchi Esaiæ cap. 7. v. 6. interpretantur, Tabeel Romeliam. Sed hæc series, cùm in præcedentibus Alphabetis promiscuè contineatur, ferè à Rabbinis omittitur.

Author Pardes. R. Moyses Botril.

RR. Rassi & Kimchi.

Vsus

Vsus Tabulæ Ziruph primum Exemplum.

PRimò illud Hieremiæ c. 25. v. 26. ומלך ששך, interpretantes ope Alphabeti אתבש *Atbasch*, inueniunt per ששך *Sesach* nihil aliud intelligi, quàm Regem Babel; de quo vide S. Hieronymum in citatum locum commentantem. Si enim in Alphabeto אתבש *Atbasch* paulò antè adiuncto, accipias ב pro ש, & iterum ב pro ש, & deinde ל pro כ; habebis בבל, Regem videlicet Babel pro Sesach explicato.

ששך בבל

S. Hieronym. in c. 25. Hierem. v. 26.

Exemplum secundum.

ALter locus refertur eiusdem Prophetæ c. 51. v. 1. quem Rassi & Radak consimiliter per *Atbasch* interpretantur: *Suscitabo super Babylonem, & super habitatores eius, qui cor suum leuauerunt contra me, quasi ventum pestilentem.* Hisce verbis לב קמי, quæ alias significant *cor leuantes*, per dictam literarum commutationem כשדים, id est, Chaldæi indigitantur, hoc pacto: pro ל ex Alphabeto *Atbasch*, scribunt ב; pro ב, ש; pro ק, ד; pro מ, י; pro י, ם, & procedit vox כשדים, eadem quæ לבקמי, vt comparanti vnum cum altero patebit.

לבקמי כשדים

Exempla Ziruphicæ operationis.

Exemplum tertium.

IVxta hoc artificium ex nomine Dei tetragrammato יהוה deducunt nomen מצפץ *Matspats*, quod ob mysteria, & multa, vt ipsi putant, sub eo arcana recondita, in magna apud eos veneratione habetur. Deducitur autem ex Alphabeto, dum pro י, ם; pro ה, צ; pro ו, פ; & denique pro ה, צ scribunt. Hoc pacto hæc verba, יהוה אלהינו יהוה, *Dominus Deus noster Dominus tetragrammaton*, per *Atbasch* commutant in hæc, מצפץ חכצמסף מצפץ, quo indicant inuocantq; diuinam voluntatem in Malcuth, hoc est, Luna archetypa degentem, quâ omnes influxûs deferuntur ad inferiora. Et per מצפץ intelligunt Regnum Dauid; per verba verò מצ & פץ, quorum illud exprimere, hoc gaudere, iubilare, aperire significat, indicant מלכות decimam inter Sephiroth, quæ Lunæ conuenit, quia illa omnes influxûs à superioribus emanantes dum recipit, eos in inferiorem inde Mundum exprimit. Rursus hæc paulò antè citata verba, יהוה אלהינו יהוה, commutant in alia per Alphabetum אבגד *Abgad*, vt sequitur: כוז במיכסן כוז: de quorum significatione paulò antè dictum fuit, extractio enim horum nominum per priorem Tabulam facta est. R. Abraham Ben Dior in illud Ietsirah:

Rassi & Radak.

יוצאות במאתים וארבעים ואחד שערים נמצא כל
חיצור וכל הדיבור יוצא משם האחד:

Omnes autem literæ redeuntes in orbem confecisse deprehenduntur portas 241, inueniturque omne creatum, & omne verbum, vnum nomen conficere. Nomen illud

R. Abraham Ben Dior.

illud vnum explicat, nomen tetragrammaton יהוה, cuius, inquit, literæ cum singulis portarum literis comparatæ, dant combinationum summam 634118; cuius arcana iactat tanta esse, vt ea verbis satis explicari non possint. Sed vide fusiùs ea describentem Mosen Botrellum peculiari tractatu. Axioma summè execrandum, cùm nihil eo ad perverrendam scripturam, ad omnia animi idola conformanda, detestabilius fingi possit. Nam si vna litera vicem gerit omnium, & omnes vnius vicem, nullum est tam sacrosanctum nomen, quod non statim æquâ facilitate in horrendam abominationem, sensusque diuinæ scripturæ prorsus contrarios conuerti & detorqueri possit.

Mosen Botrellum. Refutatio operationis Ziruphicæ.

Vt verò liberiùs, impuniorique fingendi licentia arcana sua iactirent, alia quædam Alphabeta fingunt 27 literarum, adiunctis videlicet 22 literis, finalibus quinque, quas מנצפך vocant. Alphabetum itaque in tres literarum series diuidunt, quarum prima ex literis describitur, quæ binæ denarium componunt; secunda ex ijs, quæ binæ centenarium; tertia ex ijs, quæ binæ millenarium. Hoc diagrammate tres superfunt מנצפך. Nè verò diu cœlibes viuant, ה cum ג maritant; sed ד non inuenitur adiutor, ita ratione numeri 27 imparis poscente. Vocant verò huiusmodi Alphabetum אתבח *Atbach*. Ad quod quidem Thalmutistas respexisse patet ex tract. Succa. c. 5. dum מנון contumacem interpretantur per סהדה, quod est testimonium. Sed audiamus citatum locum. *Per Atbach vocant* סהדה *testimonium* מנון *initio Ghemuræ contumacem, quod interpretari oportet sicut Atbach hoc modo:* אב, בג, גד, *prior ista series vnitates; secunda denarios vti hic* כל, לא, מט, יא; *tertia centenarios, & millenarios exhibet* קץ, רף, שן, תם; *superfunt* מנצפך *sine pari.* סהדה *autem sic permutatur cum* מנון: ם *pro* מ, *duæ* ה ה *pro duobus* ד, בן *pro* ן. R. Tarphon verò existimat, Deum benedictum tot in Mundo specie distinctas creaturas produxisse, quot combinationes sub 22 literis absconduntur. aperta vanitas, & summæ in rebus Mathematicis Rabbinorum ignorantiæ argumentum: si enim combinationes iuxta leges in Musurgia nostra vniuersali lib. 8. fol. 14. traditas instituamus, nascitur ex 22 literis inter se aptè combinatis numerus commutationum is, quem suprà protulimus, nempè

Alphabetum 27 literarum Hebraicarũ.

Thalmutistæ.

R. Tarphon.

Tot creaturas à Deo creatas, quot combinationes ex 22 literis emergunt, R. Tarphon opinatur.

1124000727777607680000.

Qui numerus præterquàm quòd incomprehensibilis sit, tantus quoque est, vt si totum solaris sphæræ concauum creaturis sensibilibus à Deo conditis repleretur, illarum minimè capax esset futurum. Addo quòd si R. Tarphon ab origine Mundi vsque ad præsens tempus, omnes combinationes sub dato numero latentes prosequi, & describere singulas voluisset, necdum eas absoluisset; imò tantùm chartæ in describendis singulis combinationibus insumpturum aio, quantũ totus terrenus globus capere non possit. Certa sunt quæ scribo, tametsi ijs solùm nota, qui combinationis vim & proprietatem penitiùs nôrunt. Apage igitur R. Tarphon cum ruis nugis. Multa similia nugamenta plebi ignaræ persuadent Rabbini, quæ ad trutinam reuocata, non nisi risum mouent peritis.

Confutatio dictæ sententiæ.

Aliud

Aliud non minus ridiculum produnt Thalmudistæ, dum ex illo capitis 7. Danielis: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*; per Ziruphicas combinationes numerum Angelicorum exercituum se inuenire posse ineptè autumant; vnde vniuersam cœlestem militiam in sex ordines distinguunt, qui sunt:

Thalmudistarum figmentum.

6 5 4 3 2 1

מזלות: אל: ליגיון: רבתון: חרטון: גיסתרא:

Mazaloth, El, Legion, Rabatton, Chirton, Gisteta. Et Mazaloth quidem in duodecim regimenta iuxta duodecim signa Zodiaci diuidunt, quorum vnumquodque continet secundùm ipsos triginta insignia, quæ ipsi *El* vocant, quot videlicet in vnoquoque signo gradus numerantur; quæ in 12 ducta dant 360, numerum videlicet Elim: singuli Elim 30 sibi subordinatos habent ministros, quos Legiones vocant; quare ductis 30 in 360, proueniet numerus Legionum 10800: singulis Legionibus subduntur 30 Ribathon, quæ ducta in 10800, dant 324000 Ribathones: singuli Ribathones habent sub se 30 Chirton, quæ ducta in 324000, dant 9720000 Chirtones: singuli denique Chirtones habent sub se 30 Gisteras, quæ ducta in 9720000, dant 291600000.

Computus Thalmudistarum circa multitudinem Angelorum:

מזלות	Mazoloth	12	per 30 multipl.
אל	El	360	per 30 multipl.
ליגיון	Legion	10800	per 30 multipl.
רבתון	Ribbathon	324000	per 30 multipl.
חרטון	Chirton	9720000	per 30 multipl.
גסתרא	Gistera	291600000	
	Summa omnium Angelorum	301655172.	

Atque hanc suam opinionem confirmare solent, per reuolutiones Alphabetarias; in quibus dum omnia stolido labore voluunt, & reuoluunt, tandem diuisi confusique, in innumeras opinionum contrarietates pleno agmine præcipitantur, vt nec Proteus tot facies assumere fingatur, in quot ipsi sese insanis huiusmodi imaginationibus transformare solent. Quæ ideo hìc fusiùs prosequi libuit, vt plebæi philosophastri, dum tanta Cabalæ mysteria Rabbinos eructare vident, ex pauculis hisce quid credere possint & debeant, discant. Sed iam tempus & ordo postulat, vt vsum Ziruphicæ tabulæ in Diuinis nominibus eruendis doceamus, vt vnde monstrosa illa Cabalistarum nomina originem suam nanciscantur, auido Lectori constet.

Confutatio Cabalisticæ superstitionis.

Quomodo Nomen Dei τετραγραμματον, *siue 42 literarum, ex tabula Ziruph eruatur.*

CVm à nomine tetragrammato, vt suprà dictum fuit, omnes literæ profluant, & in id denuò resoluantur; videndum iam est, quà arte & industriâ illud, vti & innumera alia similia stolido labore ex Ziruphica tabulâ producant.

Primò itaque pro certo & indubitato dogmate tenent omnes Cabalicæ artis Magistri, nominum Dei, *inter quæ & nomen 42 literarum celeberrimum vnum est*, virtutem, operationem, vigorem, efficaciam, complementum, & perfectionem, à sola Dei voce dependere, iuxta illud Pici pronunciatum; *Quælibet vox virtutem habet in Magia, in quantum Dei voce formatur*. Hinc illa per omnes omnium Alphabetorum connexiones & retia tam anxiè scrutantur, tanto calculorum apparatu explorant, donec tandem septem nomina insignibus, vt ridiculè putant, referta mysterijs, 42 literis comprehensa vspiam in Sacra scriptura compererint; queis habitis, pari pacto ex combinatorijs Alphabetis Tabulæ præcedentis alia septem verba, quæ possint vel vllius diuinæ Scripturæ versus esse Symbola, inquirunt; vti sunt sequentia septem heptagrammata verba, quorum vnumquodque iterum in sex literas & binas dictiones trium literarum dispescunt, vt sequitur.

Dei pronunciatum.

Vanus labor Rabbinorum inuestigandi Dei nomina ex Scriptura per tabulas Ziruph.

Nomen 24 literarum.

4	3	2	1
Canaphzclab	*Gachalbeqag*	*Thidalleak*	*Thidelganab*
כנף צלב	גכל בקג	תדל לאך	תדל גנב
מים ואת	ימא תחש	בראאלה	בראשית
	7	6	5
	Qabáqtsotsab	*Leduqanag*	*Qaladuetsaq*
	קבק צצה	כדו קנג	קלד וצק
	חתח ורב	ארץ חיה	תאר ץוה

Textus Sacræ Scripturæ ex quo eruta est.

Hoc nomen 42 literarum heptamorium deducitur per commutationem Alphabeti *Albath*, & est primum in Tabula Ziruph; cuius combinatio ea est, quæ sequitur:

Combinatio אלבת *Albath.*

אבגדהוזחטיכ
לתשרקצפעסנמ

Textus verò Sacræ scripturæ, ex quo eruta sunt præcedentia nomina, est primus & secundus versus Genesis, è quorum 42 literis per *Albath*, siue præsens combinatorium Alphabetum, septem verba hectasyllaba, paulò

paulò antè adducta eruta sunt, vti vnum cum altero comparanti patebit. Sed dicet quispiam, cur dictum Genesis versum acceperint, cùm quicunque textus Sacræ scripturæ 42 literarum pariter applicari posset; Respondent Cabalici, hunc versum omnium totius Scripturæ mysteriosissimum ideo assumptum esse, quod à ב, quæ litera sapientiæ diuinæ omnium conditricis nota est, incipiat, & in ב, quæ quadragesima secunda dicti versus litera est, desinat, vt proinde nomen hoc commutatum 42 literarum idem designet, ac Deum principij & finis expertem, vtpote à quo omnia profluant, & in eundem resoluantur. Sed cur adductum ex Sacra scriptura textum in fine interrumpunt, finali vocula בוז non terminata? Respondent, vt haberent 42 characteres diuini nominis expositores, qui non habebantur, si dictio complebatur. ridicula sanè Philosophia Cabalistarum, qui vt ad intentum suum pertingant, solitâ industriâ textus sacros mutilare, & miris modis nunc addendo, nunc demendo corrumpere solent. Alij alias huius rei assignant causas. Ego vt verum fatear, nec mysterium sub hisce video, nec necessitatem vllam tam arctis legibus se adstringendi. Ex hoc eodem Genesis primo versu 42 literarum, aliud nomen 42 literarum deducit R. Hamai in lib. de speculatione. Nomen verò deductum fuit ex Alphabetaria reuolutione, quæ vocatur אבגד *Abgad*, vti sequitur:

Cur 1. Genesis versum vsurpent Rabbinis diuinis condendis nominibus.

Constitutio

R. *Hamai*.

1 אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת
2 בגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת

Literæ superiores coiunctæ inferioribus faciunt sequens Alphabetum combinatum *Abgad*, vt sequitur.

אב בג גד דה הו וז זח חט טי יכ כל למ מנ נס סע
עפ פצ צק קר רש שת

Nomina 42 literarum sunt septem verba hectasyllaba, quorum vnumquodque rursus in bina verba trisyllaba, vt superiùs, diuiditur, & in subiecta figura vides.

Nomen 24 literarum.

5	4	3	2	1
ובקפ הו	נטנה בש	טנב שות	אקב בכו	אקב חשש
Vbakphahu	*Netnahbasch*	*Tanabaschuth*	*Akabbacu*	*Akabtatasch*
הארץ וה	מים ואת	יבא תחש	ברא אלה	בראשית
autem terram	*&*	*cœlum*	*Deus creauit*	*principio In*
			7	6
			ושו והבא	בקפ וטש
			Vsuhaba	*Bekaphutasch*
			חתה ורב	ארץ היה
			vacua &	*inanis terra*

Textus Genesis.

Hoc nomen quadraginta duarum literarum similiter vt cætera Deum benedictum iuxta suam proprietatem symbolice significare aiunt: sicuti enim tetragrammaton ineffabile, Deum notat, vt est supra omne esse; & אהיה *ehieh* Deum, vt est in omni esse, signat; & אדני, vt est omnium Dominator; & שדי, vti nullius indigum significat; ita 42 literarum, siue recipiatur ex transpositis, siue rectis combinationibus, quodlibet, Deum designat, in quantum est Creator cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Vide Mosen Botrellum in librum Ietsirah. Inter alios verò fusiùs tractantem reperio Authorem Pardes, qui non tantùm arcana verborum, sed & vocalium ijs adiunctarũ, cum totidem Angelorum nominibus summo labore, & contento sanè studio inuestigare conatur. Paraphrasticè & veluti per interstitia quædam Authoris verba infrà promo. Adducit is porta 6. perusch. 12. aliud nomen 42 literarũ ex dictis Genes. primis versibus, 42 pariter literarum, extractum. Nomen in septem hectasyllaba nomina distinctum, quorum vnumquodq; binas dictiones triliteras continet, est id quod sequitur, vocalibus suis notatum.

R. Moyses Botril. Author Pardes.

5	4	3	2	1
חקב טנע	בטר צתג	נגד יכש	קרע שטן	אבג יתץ
Hakbatnangh	*Betartsethag*	*Nagedichasch*	*Keraughschetan*	*Abgaithaq*
הארץ וה	מים ואת	יבא תחש	בראה אלה	בראשית
			7	6
			שקר צית	יגל פזק
			Schekutsith	*Iegalpezak*
			ה תהו וב	ארץ היתה

Hoc nomen ex varijs Alphabetis, non ex vno, sicuti alia superius allegata, extractum fuit; vnde artificium consultiùs omittendum duxi, quàm multiplici Alphabetorum coaceruatione illud obscurum reddere. Alphabeta quæ ipse Author fusè allegat, citato loco videri poterunt. Accepit autem omnia dictus Author ex R. Nehunia, alijsque abstrusioribus Cabalicorum monumentis. Ponit autem magnum in punctis mysterium, & grauiter prohibet, ne loco Patach pronuncietur Kametz. Sed audiamus verba omnium Cabalæorum superstitiosissimi Authoris:

R. Nehunia.

יודע כי סוד חפתח הוא סוד גדול לפתוח מלמעלה כל פתחי הרחמים הגמורים
יען כי הוא רחמים גמורים וקמץ סודו כאף רחמיו ר"ל אם תנקדו בקמץ הוא קופץ
באף וחשמר לך שה תנקדו בקמץ אלא לנקום נקם במקום השבא חירק ועמו תעשה
רחשיג פלא פלאות ובפתח תשיג פעולות הרחמים ויפתח ברכות עד בלי די ו"ש ה הנגי
פותח לכם את ארובות השמים וכו" וסוד חפתח כשיפתח לה את ארצו הטוב וסוד
הקמץ אוצרות ה' הנקמץ:

Id est, *Notum est, quoniam arcanum Patach est arcanum magnum; nam pronunciando illud ritè, portæ superiores misericordiæ & retributionis aperientur; ideo illud ipsas Dei miserationes & retributiones rectè indicat. Kamets verò secretum est, iram diuinorum viscerum indicans, id est, si dictum nomen punctaueris per Kamets, & pronunciaueris, ira Dei descendet; hinc caue tibi nè illud punctio Kamets signes, nisi in die vindictæ, scilicet tempore belli, & in loco exercitus; & cum eo perficies mirabilia magna. Cum Patach verò signato assequeris opera misericordiæ, iuxta illud; Ecce ego aperiam vobis cataractas cœli &c. Arcanum verò Patach aperiet tibi thesaurum eius bonum; & Arcanum Kamets colliget thesauros Dei, iuxta illud, Thesaurizabis tibi in die iræ.* Risum teneatis amici. Pergit deinde Author fusiùs totum negotium explicare, arcana arcanis, nugas nugis subnectere, subiunctis verbis:

Author Pardes ex Rabbi.

כי השם זות והוא ירמז בס"ג גבורה ומקום מוצאו הוא מפסוק בראשית עד ב' של
בחו וכן פירש הרש"בי ע"ה בספר התיקונים ז"ל תשום ראש על רגליו ואמר רבון
עלמא אפתח עיני להסתכלא בחון לחילא אבוא בם אודה י"ה במ"ב אתוון דשמא
מפרש למודע כל אות ואות על תקעיה ואינון **בראשית ברא אלהים את**
השמים ואת הארץ והיתה תהו וב: ואינון **אבג יתץ: קרע**
שטן: נגד יכש: בטר צתג: חקב טנע: יגל פזק: שקו צית: בל אות
ואות אית לה מאמר ואית לה כתיב יאמרן אינון ולב"ש בילין וכלהו תלין מן איה"ו ודא
איהו אבוא בם' אודה י"ה ז' ספירות כלילן בז' שמהון וכלהו כלילת לון בת שבע יה
חכמה ובינה א' כתר עליון וכולה כלילת בת שבע אבל שיעור הכתוב הוא פתחו לי
שערי צדק והוא הסכינה כשהיא נקרא בת שבע על שהיא בלולה משבע שמות אלה
שהם בשבע הספרות ואו: הוא: יוד: הוא: נקראת צדק מעבר הנתיבות והאמר ם אבוא
אחר בם שהם שבע שמות שבע ספירות ובהם נכללים מ"ב אותיות שהם י"מ אמרים
ו"לב' נתיבות וכל אות ואות יש לה כח א' או מהמאמרים או מהנתיבות אודה י"ה הם ג'
ראשונות הנשארות הנה בפי" שמוצא השם הזה הוא מפסוק בראשית עד ב' של ב'חו
ושבזה קצת בלבול כאשר נכתוב ויש מי שחילק האותיות האלה לשלשה חלקים
שהם ג' ידות יד דין ויד רחמים ויד החזקה הזה סידורו עם נקודו **בראשית ברא**
אלהים עד ב' יד דין **את השמי מואת הארץ** וע' ב' יד הרחמים **והארץ**
היתה תהו וב עב' יד חזקה:

Quoniam, inquit, *nomen hoc indicatur per Sephiram Geburah, id est, fortitudinis, locus verò, ex quo eductum fuit, est versus Genesis à* ב *vsq; ad* ב, *id est,* בחו; *& sic explicat Harashi, pax super eum, in libro Sepher hatikuniu, memoria eius in benedictione. Constitue caput supra pedes eius, & dixit Dominus seculorum, aperiam oculos meos, vt intelligam in illis quæ suprà sunt; introibo in ea, & confitebor Domino in 42 literis nominis hammephorasch, vt cognoscam singulas literas, iuxta motiones suas; sunt autem ista verba: In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua; & ita scribuntur, vt singulæ sex literas constituant, vt sequitur.*

7	6	5	4	3	2	1
התה וב	ארץ היה	הארץ וה	מים ואת	ים את חש	ברא אלה	בראשית
Quibus correspondent nomina extracta.						
שקוציה	יגל פזק	חקב טנע	בטר צתג	נגד יכש	קרע שטן	אבג יתץ

Singulis literis verò competit verbum, & vna semita; decem verba sunt Decalogi,

ealogi, & 32 semitæ, quæ omnes dependent ex איה, *iuxta illud,* אבוא בם אודה יה *introibo in eas, & confitebor Domino. Septem Sephiroth comprehenduntur in septem illis nominibus, & omnia illa continentur in* בתשבע יה *Bathschebangh Adonai. Per* י״ה *notatur* חכמה *Sapientia, &* בינה *Intelligentia; per* א *verò indigitatur* כתר עליון *Corona suprema; quæ omnia Batsebangh continet: Veruntamen & iuxta illud, quod scriptum est; Aperite mihi portas iustitiæ; illa diuinitas est, quæ vocatur batschebag, in quantum illa continet septem verba illa, quæ sunt in septem Sephiroth, & tunc* איה *vocatur Zedeck, & est pars semitarum, & decem verborum, iuxta illud, introibo, & inquiram sapienter in ijs, quæ sunt septem verba septem Sephiroth, in quibus comprehenduntur 42 literæ, si enim 10 verba 32 semitis adiunxeris, habebis 42; singulis verò literis inest vnitas* א *Aleph, siue ea ex decem verbis, siue ex 32 semitis. Porrò* אודה יה *per* איה *signantur tres partes priores, ex quibus componitur hoc nomen; suntque prima verba* בראשית *vsque ad* ב *dictionis* בחו; *estq; in hac parte confusionis commistio, quemadmodum scribemus; sunt enim, qui has literas diuidant in tres partes, quæ sunt veluti tres manus,* יד הדין, *manus iudicij,* יד הרחמים, *manus miserationum, &* יד החזקה, *manus robusta; quarum ordo iste est vnà cum punctis singulorum ordinum. Prima pars* בראשית ברא אלהים *pertinet ad* יד דין, *manum iudicij; secunda pars* אתה שמי מואת הארץ, *ad* יד רחמים, *id est, manum miserationum; tertia pars* והארץ היתה תוהו ובו *pertinet ad* יד חזקה *manum fortem & robustam, quarum vnaquæque continet literas 14. quæ ducta in 3 dant 42. Iterum scriptum est, quod 42 literæ illæ sunt in fine legis in vltimo versu vt sequitur: Et cunctam manum robustam, magnaq; mirabilia quæ fecit Moses coram vniuerso, scilicet Israël;* ולכל היד החזקה ולכל המורא הגדול אשר עשה משה לעיני כל: *hic versus pariter tres continet manus; prima manus est* ולכל היד החזקה, *secunda* לכל המורא הגדול אש, *tertia manus est* רעשה משה לעיני כל, *quarum vnaquæque pars 14 pariter continet literas, quæ ducta in 3 dant 42, nomen Dei benedicti. Sic inueni, & interpretatus sum.* hucusque Pardes. Quæ omnia cùm obscuriora sint, quàm vt ab abstrusioris doctrinæ imperito intelligi queant, ea paulò fusiùs explicanda duxi.

Mysterium primi & vltimi versus Pentateuchi, ex quibus Cabalistæ eruunt nomen Dei 42. literarum.

Fundamentum quo nixi Cabalici 42 literarum nomen eruunt, est primus & vltimus versus Pentateuchi; quorum prior vti à ב incipit, ita vltimus in ל terminatur; hæ verò duæ literæ constituunt dictionem לב quod idem est ac cor; quo Cabalici subobscurè indigitant, neminem legis arcanorum participem esse posse, nisi qui corde profundo, sensu & intelligentia summa præditus fuerit, quique 32 semitas sapientiæ, quas eadem dictio לב numero exprimit, quæque in diuinæ legis decursu inueniuntur, studiosè triuerit. Hinc vlteriùs speculantes, inuenerunt, in primo versiculo à ב ad ב, quæ est principium dictionis בחו (astu doloso, & manifestâ impostura) 42 literas, quas in tres manus seu partes, quarum vnaquæque 14 literarum est, vti dictum est, diuidunt; singulis manibus applicant vnam ex tribus supremis Sephirot, quæ continentur hisce tribus literis אחי, quæ notant tres supremas Sephiroth, *Kether, Cochma, Binah.*

Binah, id est, *Coronam summam, sapientiam, & intelligentiam.* Porrò has quadraginta duas literas pariter in vltimo paulò antè citato totius Pentateuchi seu legis versu inueniunt, qui, vti primus versus Genesis, incipit à ב, & in ב finit, sic vltimus à ל incipit, & in ל finit; quem & in tres manus diuidunt, quæ tribus supremis Sephiroth pariter competunt. Et sicuti primum versum diuidunt in septem verba hectasyllaba, sic & vltimum. Quâ quidem mysteriosa, vt ipsi putant, correspondentia indicant, Deum Optimum Maximum, trinâ operatione in Mundum processisse, Legem diuinam, Angelos, cœlum, terram, & quicquid eorum ambitu continetur, in virtute nominis tetragrammati, & quadraginta duarum literarum produxisse; quibus productis sex dierum spacio, septimo, qui per vltimum legis versiculum indicatur, eum in seipsum reuoluisse omnia, æternam quietem capturum; quod fiet magno illo seculorum ac æternitatis Sabatho. Hinc dum totius legis arcanum sub dictis duobus versiculis attentiùs considerant, & vim singulorum verborum curiosiùs scrutantur; nihil esse in totius legis decursu, nihil in toto creaturarum ambitu, quod hisce non contineatur, asserunt. Cùm autem lex vniuersa nihil aliud sit, quàm continuus quidam, vti dictum est, diuinorum Nominum contextus, dicti verò duo primus & vltimus totius legis versus veluti quædam epitome, vinculum omnium, omnium summa quædam sit; Alphabetum verò viginti duarum literarum iuxta 242 reuolutiones suas, omnia diuinæ legis Nomina contineat & explicet; prædictum 1. & vltim. Genes. versum, in quantum Dei voce formantur, & per Alphabetariam reuolutionem in alias literas & nomina transmutantur, vti ingentium arcanorum plenos, sic etiam summam in operando vim & efficaciam obtinere eos sibi persuadent, ita vt eorum ope & dispositione præuiâ, nihil non arbitrentur ijs recta cum intentione, fide summâ, & ardenti amoris affectu vrentibus à Deo concedi. Cùm itaque per Nomen Dei tetragrammaton יהוה, vti suprà dictum est, Deus omnia, quæ in Mundo sunt, condiderit, Nomen autem expansum sic, י, יוד, ה, וו, ה, יוד, ה״ *vel* יוד הא ואו הא יוד ואו דלת הא אלף ואו resolutum 42, totidem videlicet, quot antè dicti versus, literas constituat, factũ est, vt inde tantorum mysteriorum fundamenta, tametsi inutili & vano labore, primum iacere cœperint: Porrò aliâ ratione eruunt hoc 42 literarum nomen. Dicunt enim Cabalici, quòd nomen 42 literarum, vt Pardes refert:

י	10
ו	6
ד	4
ה	5
ו	6
ו	6
ה	5
	42

שם מב״ דאידו דיוקנא דמלכא חקיק על הוטמא דיוקנא הוא יהוה וה חוטמא
היא אהיה אשר אהיה וציור מ״ב אותיות בשע וה על כתב:

Pardes.

Sic instar imaginis, quæ est in annulo Regis; imago exhibet nomen יהוה, *annulus nomen duodecim literarum* אהיה אשר אהיה, *& scriptura vel signatio exhibet 42 literas in septem nomina diuisas,* vti postea dicetur. Nomen verò 42 literarum in tetragrammato contineri, ita ostendunt. Scribatur nomen tetragrammaton expansè sic: יהוה יוד הא ואו הא יוד ואו דלת הא אלף ואו Et habebis quadraginta duas literas Nominis Dei expansi, אלף ואו הא אלף vt in sequenti margine vides. אהיה quoque in numeros resolutum dat 21,

Quomodo numerus 42 in nomine Dei tetragrammato lateat.

quæ

quæ duplata dant 42. Et hoc est, quod dicitur in Exodo אהיה, vbi אהיה bis אשר אהיה ponitur, & continet in se numerum 42. quod nomen אהיה si, vt priùs, expansè scribatur, comprehendet pariter 42 literas. Atque ex hoc miro, vt falsò opinantur, consensu nihil non eius ope magnum sibi pollicentur, vt diximus. Præterea cùm totius legis arcanum per 32 semitas sapientiæ, quas בת prima & vltima legis litera indicant, comprehendatur, & per decem verba Decalogi consumetur; hinc fit vt 10 iuncta 32 dent 42, quæ diuinum 42 literarum nomen, quo omnia quæ in Mundo sunt, continentur, indicant. Nomen autem 42 literarum in septem verba septem verbis primi & vltimi versus correspondentia dirimunt. Et per septem quidem verba indicant septem Sephiroth, quæ sunt, vt posteà dicemus, mensurationes Bereschith, siue dimensiones creationis fabricæ, & septem dies operationis & quietis. Et cùm Deus omnia sex diebus condiderit, hinc singula septem verba constant sex literis. Vnumquodque verò iterum in duas dictiones trium literarum diuidunt, adeo vt dictiones triliteræ in vniuersum sint 14, iuxta quarum analogiam totum quoque nomen in tria alia nomina, quorum vnumquodque 14 literarum sit, diuidunt, quas manus vocant; suntque manus iudicij, & correspondet Sephiræ *Kether*, id est, *Coronæ*; manus miserationum, & respondet *Chochma* siue *Sapientiæ*; & manus robusta, & respondet *Binah*, scil. *Intelligentiæ*. quam triplicem manum etiam per אהי tres literas insinuant, quarum prior א respondet *Kether*, & indicat nomen אהיה; altera ה respondet *Cochma Sapientiæ*, cuius index nomen יה est; tertia respondet *Intelligentiæ*, cuius nota est י. Per hæc enim diuina nomina trium Sephiroth superiorum influxus fit in omnes reliquas septem Sephiroth siue dimensiones fabricæ. Hinc, aiunt, omnis fons vitæ, gratiæ, & salutis; hinc totius Mundi, singulorumque ordinum in eo contentorum robur, vis, & conseruatio. Quæ omnia cùm in symbolico 42 literarum nomine continentur, mirum non esse aiunt, tanta eo rectè vtentibus, & nomen cognoscentibus, charismata concedi; iuxta illud, *Exaudiam eum, & glorificabo eum, quoniam cognouit nomen meum*. Nec moueant te, aiunt, nomina hæc barbara & prorsus portentosa: cùm enim, vti dicunt Cabalici, voce Dei formata sint, & occultum ad diuinas virtutes, operationes, & nomina consensum habeant; mirum non est, Deo, qui symbolicis huiusmodi & mysticis allusionibus, & quæ essentiam eius veluti in idea quadam exhibeant, vnicè gaudet, dicta nomina, ob sympathicam quandam, & ab omnibus sensibilibus rebus abstractam analogiam, tanquam essentiæ suæ simillima, gratissima, & acceptissima esse: sicuti enim in Deo omnia quæcunque in Mundi machina includuntur, vnum simpliciter sunt; ita & in Alphabeto 22 literarum, omnes res, voces, nomina, dictiones vnum quid sunt, implicitè. Quod si in cœteris Alphabetis, maximè id in Hebraico omnium mysteriosissimo locum habet. Hinc, teste Zohar, legem ita scripserat Moses, vt in quamcunque partem legeretur, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, sensus eueretur diuinæ legi congruus, vti

suo

suo loco demonstrabitur. Hinc sicuti Aleph cum omnibus, & omnes reliquæ literæ cum Aleph; ב cum omnibus, & omnes cum ב; ג cum omnibus, & omnes cum ג comparantur, imò vnum sunt, ob rerum, quas significant, identitatem; ita Deus benedictus, est omnia in omnibus, & omnia in ipso vnum sunt, videlicet *Aleph, Beth, Ghimel, Daleth, He*, hoc est, *Principium, Domus, Retributio, Porta, Vita, Aleph & Thau; Alpha & Omega, Principium & Finis*, à quo omnia profluunt, & in ipsum refluunt. Nomina itaque tametsi, vt inquiunt, portentosa sint, & nihil significare videantur, occultâ tamen vi & analogiâ omnium, quæ in Deo concipi possunt, perfectionum vnitatem occultè & mysticè, in quantum diuini Verbi eloquio formata sunt, suæque virtutis basin in Sacra Scriptura fundatam habent, exponunt. Exemplo rem ostendam: sicuti qui modò scribit nomen Petrus, modò Cephas, nunc Simon, illud siteris quidem scribit omninò diuersis, quorum tamen significatio prorsus eadem est, & eundem Petri virtutum conceptum animo nobis ingerit; pari pacto dicunt Cabalici euenire in mirificis huiusmodi diuinis nominibus; quæ quidem quantò sunt abstractiora, & omni humano intellectui abstrusiora, tanto ad operandum earum virtute, efficaciora esse putant. Hinc, teste Pardes, R. Schalomo Malco, & R. Hakana, explicato hucusque 42 literarum nomini totidem epithera, quæ diuinæ naturæ proprietates altiùs exponant, affingunt, ita vt 42 Epithetorum capitales literæ suprà citatum nomen 42 literarum perfectè exhibeant. quod vt curiosus Lector perfectiùs cognoscat, Epitheta diuina 42, quorum initiales literæ nomen suprà citatum exhibent, hic apponendum duxi, omnia ex R. Salomone Malco, & R. Hakana deprompta, vt sequitur.

Author Pardes.
R. Schlomo Malcus.
R. Hakana.

Nomen 42 Epithetorum Diuinorum, quorum capitales literæ nomen 42 literarum, vti sequitur, exhibent.

Nomen 42 literarum supracitatum, hoc est.

אבג יתץ קרע שטן נגד יכש בטר צתג הקב מנע יגל פוק שקו צית:

Epitheta 42 hoc exponentia sunt sequentia.

אדיריון בהירון גבירון יגבהיה תלמיה צחניה:
Tsetaniah, Thelamiah, Igbahiah, Gebiriaron, Beliriaron, Adiriaron,
נהריה טלטיה שגעיה נגריה רגריה קרמיה:
Nebariah, Telatiah, Scheganghiah, Ngheririah, Regariah, Keramiah,
שגיגיה חפציה יעליה דחריה געריה נשמריה:
Schigioniah, Chefeiah, Ienghaliah, Deariah, Geareiah, Nismariah,

Nomen 42 literarum in septem verba diuisum.

בועליה

בועליה טוריריה רמיה צאשיה תהכיה בלגליה :
Galgaliah, Thabebaiah, Tsatsitsiah, Ramiah, Toreriah, Bunghehiah,
הגניה קתקיה בחוחויה מבטביה נחניה עמניה :
Ghnamamiah, Neaniah, Tabtabiah, Bahauehuiah, Kathakaiah, Hananiah,
יחלשריה גוריה לממריה פקודקדיה צהריה קמליה :
Kemaliah, Tsehariah, Pekodkadiah, Lemimariah, Goreiah, Iehalschariah,
שתחריה קרושיה ותאליה צעדיה יחחלכיה תאחליה :
Thamtheliah, Iathahlchaiah, Tsanghadiah, Vehaeleliah, Kedoschiah, Schathodraiah,

Hæc ſunt 42 nomina, quæ totidem Dei attributa exponunt, explicantque nomen 42 literarum in capitibus ſingulorum nominum exhibitum; & nomina quidem ſunt extracta ex Pſalmis, cœteriſque ſacris ſcripturæ textibus, quorum puncta referunt ipſa puncta, quibus in dictis ſacræ ſcripturæ locis inſigniti textus reperiuntur; omnium autem interpretatio ea eſt quæ ſequitur.

Explicatio dictorum Nominum.

1 2 3
MAgnifice Deus doce nos, ſplendide Deus illumina nos, fortis Deus
4 5 6
robora nos, Deus exaltans, Deus dulcis animæ inſpergens ſemina, Deus
7 8 9
iuſtus, Deus ſuperinduens, Deus commotionis, Deus excitans à mortuis,
10 11 12 13
Deus perambulans vniuerſa, Deus ſublimatus, Deus influens, Deus conſer-
14 15 16 17
uans, Deus increpans, Deus ſcrutans corda, Deus ſubleuans; Deus abſcon-
18 19
ditus, Deus omni creaturarum cantu laudandus, Deus Dominus omnium,
20 21 22
Deus malorum expulſor, Deus lapſos eleuans & ſublimans, Deus iuſtus
23 24 25
iuſtus iuſtus, Deus ſubuertens malos, Deus Cœlorum, Deus miſerator,
26 27 28
Sanctus tu Sanctus Deus, Deus in eſſentia ſua perfectus, Deus optimus &
29 30 31
beatiſſimus, Deus gratiam præſtans, nobiſcum Rex Deus, Deus homi-
32 33
num ſemitas intuens, Deus terribilis & formidabilis, cui ſimilis Dominus
34 35 36
Deus? Deus viſitans iniquitates, Deus totius ſplendoris, Deus languidos
37 38
confortans, Deus fundamentum laudis & confeſſionis, Deus Sanctus,
Et

39 40 41
Et Deus Deus Deus, Deus progreſſuum, Deus nulla cogitatione perueſti-
42
gabilis, Deus perfectio & conſumatio omnium.

Atq; hæc ſunt 42 attributa Deo nomina, quæ exponunt & explicant nomen illud 42 literarum, quod in fontibus attributorum portant; & ſunt (verbis eorum vtor) veluti totidem lumina quæ illuminant formas ſpirituales, ſingula ſingulas, ad indicandam literam in capite nominis ſui, quæ eſt veluti fons quidam ex capite in cœtera membra diffluens; & quemadmodum ramus infigitur radici, & radix ramo, ſic ipſa emanat ex fonte ſuo, qui eſt Deus benedictus, cuius virtutes nomina 42, occulto quodam conſenſu nomini Dei tetragrammato יהוה correſpondentia, aptè explicant. Sed audiamus Authorem Pardes:

Author Pardes.

ובשם זה מצאנו בספר הקנה שמות בראשי תיבותם הוא שם בן מ"ב נראה משם
השם לבוש אל זה השם השמות וכוונת כי מ"ב אותיות השם הם מ"ב מאורות
מאירות צורות רוחניות ושם כל א' הוא כפי הנזכר לעיל ולרמז אל אות השם שהוא
מקודו בא בראשו שמו סימן האות לרמז כי הענף נעיץ בשורש והשורש בענף
ול הורות שהוא אצילות נאצל מן המקור ההוא:

Et in libro Hacana inueni de hoc nomine, cuius literæ ſunt in capite nominum, quod illud ſit nomen Dei 42 literarum; hinc apparet, nomen hoc eſſe quaſi dictis nominibus veſtitum; intentio autem fuit indicare, quod 42 literæ illæ nominis ſunt quaſi 42 luminaria illuminantia formas ſpirituales; & huius nominis vnaquæque litera iuxta ea, quæ ſuprà dicta ſunt, indicat literam nominis, qui fons eſt proueniens in capite, & nomen eius ſignum eius literæ, ad indicandum, quòd ramus infigitur radici, & radix ramo; & ad docendum, quòd illud ſit effluxus profluens ex fonte illo. Nomen itaque 42 literarum per totidem attributa propoſita propriè omnes in Deo perfectiones indicat, in quantum in Archetypo illo Mundo, mentis noſtræ fragilitas concipere poteſt; qui tamen influxus diuinarum operationum immediatè fit in Mundum Angelicum, per hunc in Mundum hunc ſenſibilem. Vt verò ſeries horum Mundorum aptè exprimant, alia 42 nomina fingunt, quorum initiales literæ nomen 42 literarum in præcedentibus expoſitum exhibent. Sunt autem nomina Angelorum vniuerſi præſidum, qui ſemper vnam ex quadraginta duabus diuini nominis literis in capitibus portant, iuxta illud; *Angelus meus præcedet faciem tuam, obſerua eum, & audi vocem eius, quoniam nomen meum in ipſo eſt.* Nomina verò ſunt, quæ ſequuntur.

Nomina 42 Angelorum, qui nomine 42 literarum inſigniuntur, eorumque interpretatio, quorum tamen vſus meritò ab Eccleſia prohibitus eſt, ob enormes quas Rabbini inde deducunt ſuperſtitiones; quare ſi quandoque numiſmata hiſce nominibus inſignita repererit Lector, ex qua officina prodierint, cognoſcere poterit.

Tsadkiel, Thumiel, Iophiel, Gabriel, Boel, Orphaniel,
אבג יחץ אורפניאל בואל גבריאל יפיאל תומיאל צדקיאל
Nagdiel, Thabiel, Schemschiel, Gnazuziel, Raphael, Kabtsiel,
קרע שטן קבצאל רפאל עזוזיאל שמשיאל תביאל נגדיאל
Schgnariel, Chebaschiel, Iehudiel, Daniel, Gaboriel, Nachliel,
נגד יכש שעריאל בשואל יהודיאל דניאל גבוריאל נחליאל
Gedudiel, Therumiel, Tsaphiniel, Rachmiel, Tabtabiel, Berachiel,
בטר צחג ברכיאל טבטביאל רחמיאל צפניאל תרומיאל גדודיאל
Gnamiel, Nuriel, Tabariel, Barakiel, Kumiel, Chaziel,
חקב מנע חזיאל קומיאל ברקיאל טבריאל נוריאל עמיאל
Kedoschiel, Zachariel, Phaniel, Lebabiel, Geriel, Israel,
נגל פזק ישראל גריאל לבביאל פניאל זכריאל קדושיאל
Thabriel, Ilphiel, Tsuriel Yawiel, Karbiel, Schalgiel,
שקו צות שלגיאל קרביאל יויאל צוריאל אלפיאל תבריאל

Interpretatio horum Nominum ex mente Cabalistarum.

1 Angelus vultus lucidi; 2 Angelus in eo Deus; 3 Angelus fortitudinis; 4 Angelus pulchritudinis; 5 Angelus perfectionis; 6 Angelus iustitiæ; 7 Angelus congregationis; 8 Angelus sanationis; 9 Angelus vehementis roboris; 10 Angelus Solis; 11 Angelus beatitudinis; 12 Angelus annunciationis; 13 Angelus possessionis; 14 Angelus virium & valoris; 15 Angelus iudicij; 16 Angelus confessionis; 17 Angelus subiectionis; 18 Angelus apertionis portarum; 19 Angelus benedictionis; 20 Angelus magnæ beatitudinis; 21 Angelus miserationum; 22 Angelus reconditorum thesaurorum; 23 Angelus exaltationis; 24 Angelus castrorum; 25 Angelus visionum; 26 Angelus resurrectionis; 27 Angelus fulguris seu gladij coruscantis; 28 Angelus purificationis; 29 Angelus ignis; 30 Angelus populorum; 31 Angelus rectitudinis; 32 Angelus peregrinationis; 33 Angelus flammæ; 34 Angelus facierum; 35 Angelus memorialium; 36 Angelus sanctificationis; 37 Angelus candoris niuei; 38 Angelus oblationum; Ange-

39 Angelus vncinorum; 40 Angelus angustiæ; 41 Angelus vlcerum; 42 Angelus fractionis. Atque hæc sunt Angelorum siue diuinarum potentiarum nomina, quorum ministerio omnia secundùm Rabbinos administrantur; quæ quidem in Deo omnia vnum sunt, de quibus Cabalistæ asserunt, quòd quicunque ijs rectè vti nouerit, is omnium quæ desiderari possunt (si Dis placet) in hoc Mundo, compos sit futurus; atque hoc propter summam, quam cum diuinis virtutibus habent, analogiam & similitudinem: & quoniam Dei voce formata sunt, hoc ipso magnam in operando efficaciam, vt ipsi sentiunt, habent.

Vides igitur ex his, quomodo hoc nomen quadraginta duarum literarum primò ex primo Genesis versu pariter 42 literarum, per combinatoriam artem emergat; & quomodo postea ex varijs Sacræ Scripturæ locis, alia totidem Dei attributa vnà cum Angelorum nominibus, singulis 42 literis, quibus dictum nomen penitùs exponitur, explicaturque, à superstitiosis Hebræis affingantur. Explicato itaque nomine Dei, iam quomodo eo Sacerdotes benedicere solebant, videamus.

CAPVT VI.

De Nomine Dei septuaginta duarum literarum, quod ἐβδομηκοντοδύο γράμματον Dei Nomen appellatur, deque abusu eiusdem.

NOmen septuaginta duarum literarum, apud Cabalistas celeberrimum, & omnium mysteriorum (rectiùs superstitionum) veluti epitome quædam & anacephaleosis, cùm à paucis non dicam explicatum, sed nè quidem famâ perceptum sit; hinc nostrarum partium esse rati sumus, illud ex primis fundamentis in lucem educere, mysteria sub eodem, vt Cabalistæ somniant, recondita declarare, atque tandem aliquam bono publico ex abstrusiori hac Hebræorum doctrina detecta vtilitatem, superstitionum occurrentium confutatione conferre; Quòd vt quàm optimè fiat, rem à primis principijs ordiamur.

Omnia Dei nomina ex nomine tetragrammato profluunt ex mente Rabbinorum.

Diximus in præcedentibus, ex mente Rabbinorum, omnia nomina diuina suam ex nomine Dei tetragrammato originem habere; ex eo enim, vti dòcuimus ex ipsis, nomen Dei duodecim literarum, nomen Dei viginti duarum literarum, & nomen Dei 42 literarum, & tandem nomen Dei septuaginta duarum literarum, veluti ex inexhausto quodam & perenni fonte profluit. Nomen enim Dei יהוה cum punctis combinatum septuaginta duo constituit nomina Dei essentialia; quibus reliqua omnia nomina per quandam effectuum in reliquis Mundis elucescentium analogiam applicantur. Hinc secretiores Cabalæ Magistri, pulchrè omnia dicta in nomine Dei יהוה exhibent. primò enim illud exhibent sub forma triangula combinatum, vt in margine vides. Si enim primò quatuor iod יוד in numeros resolueris, habebis 40; si his numerum trium יהוה adiun-

Duobus modis colligunt hoc Rabbini.

Primus modus.

יי יי 40
חחח 15
יי 12
ה 5
72

iunxeris, habebis 55; si denique hisce addideris numerum sub duobus ה, habebis 67; quibus si numerum 5 sub ה contentum addideris, habebis 72. Iterum alio modo septuaginta duo Dei nomina exhibent sub nomine Dei tetragrammato, vt sequitur.

Secundus modus.

Primò enim scribunt illud quatuor suis literis expansè; deinde vniuscuiusque literæ lineis tria puncta siue circulos apponunt: Et cùm nomen Dei bifariã diuisum det duo nomina יה & וה, quorum vnumquodque essentiam Dei intrinsecam denotat; hinc primum nomen יה duodecim circulos, quos ipsi Mundos vocant; & totidem וה *vehu* habebit, adeoque vtrumque 24, in quibus explicandis 24 volumina totius legis diuinæ occupantur; singulis circulis seu Mundis apponunt tres apices in modum coronæ, & nihil aliud, quàm nomen Dei tribus יי exhibitum significant, siquidem tres in Deo existendi modos, *Kether*, *Chohma*, *Binah*, quas nos diuinas hypostases appellamus, indicant; atque his omnia Mundi corpora, & quicquid in singulorum Mundorum ordinibus rerum siue sensibilium, siue insensibilium inest, signatum spectatur. Porrò terni apices 24 circulis impositi numero sunt 72, quæ sunt veluti centra quædam septuaginta duorum Mundorum idealium (quæ per septuaginta duas familias in vniuersum Mundum propagatas aptè indicantur) à quibus omnia vti profluunt, ita in eadem resoluuntur; multa quidem respectu rerum creatarum, vnum tamen reuera quoad essentiam diuinam, centrum centrorum, quod & vnum illud impartibile & ineffabile Dei nomen congruè signat. Verùm nomen 72 literarum, vti explicuimus, in Pardes exhibetur, vt sequitur.

Nomen Dei 72 literarum in nomine Dei tetragrammato mysticè exhibitum.



Sed nè quicquam proprio ingenio confinxisse videamur, audiamus Authorem Pardes, hoc ipsum his verbis describentem in porta 16. vbi nomen Dei 4 literarum fusè explicat:

נמצא

נמצא בקבלת חגאונים בסוד כתיבת שם בן ד׳ וחקוקתו רז״ל חוראת חגאון לתלמידיו כי כתיבת כל אות ואות בצורת ג׳ נקודות נקודורות ומחולקות לג׳ ראשים וחלק כל ראש וראש לג׳ נקדות ועד אשר יעלה כל מספר הנקודיות לכד כמספר כ״ד צורות רוחניות פנימיות למספר ב״ד ספרי תמקרא י״ב׳ משפטים וי״ב מושפעים י״ב׳ נוחנים וי״ב מקבלים וחם סוד שבטי יה ערות להש וחה עיורו וכל נקודת יש לה ג׳ ראשין וג׳ אותיות הקדש עולים כלם למספר חשם חנסתר מ״ב ועם כתרי האות חאחרון עולים כלם למספר חשם הנכבד ע״ב׳:

רזל Rabbini nostri memoria eorum in benedictione.

Id est, *Inuenimus in Cabala Haggeonim* (ita vocant Magistros sapientes post Amoraim, & ita dicuntur, quòd legem in 60 tractatus diuisam explicarent, quod & nomen יהוה in numeros resolutum indicat.) *de arcano nominis Dei quatuor literarum, & constituere illud Geonim discipulis suis; quoniam Scriptura huius nominis hæc est: Vnaqueque litera quoad formam suam ex tribus punctis siue Iod constat, & vnumquodque in tria capita diuiditur, quorum numerus pertingit ad 24, iuxta numerum formarum spiritualium intrinsecarum, iuxta numerum librorum legis 24, è quibus 12 influunt, 12 influuntur, 12 dant, & 12 accipiunt, quod est mysterium in testimonio tribuum fil. Israël; & hæc est eius figura: Omne punctum habet tria capita, & tres literas sanctas, quæ ascendunt veluti in coronis suis ad numerum nominis occulti, quod est, 42 literarum, & cum coronis literæ posteriùs ascendunt omnes ad numerum Nominis inclyti & reuerendi septuaginta duarum literarum.* Postea subiungit quomodo Deus sanctus & benedictus ex inaccessa diuinitatis suæ caligine septuaginta duobus vestimentis indutus in Mundum processerit; verùm cùm ea longiora sint, quàm temporis & operis ratio postulat, omittenda duxi; solùm hoc loco, vnde septuaginta duo nomina diuina tetragrammato nomine vestita producta fuerint, explicandum restat.

Vnde 72. nomina diuina tetragrammato nomine vestita, producta fuerint.

Deus itaque Optimus Maximus ex impenetrabili, aiunt, caliginis suæ abysso Mundo illabens, primò se Angelico septuaginta duobus vestimentis indutus inseruit, id est, virtutes suas operationesque septuaginta duabus Intelligentijs principalibus communicauit; qui denique eadem virtute reliqua 72 Mundi sensibilis systemata, pront alij Cœlis, alij elementis, alij mistis corporibus, alij spiritualibus substãtijs, alij alijs præsunt, signauerunt, iuxta illud Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te &c: audi vocem eius, nec condemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, & est nomen meum in illo.* Per quod cognoscimus, nomen Angeli optimo ritu Dei nomen comprehendere quandoque debere. Ideo cùm Cabalici Angeli cuiusuis nomen significatiuè pronunciare nequeunt, subsidio alicuius nominis Dei, quod illi adiungunt, totum simul proferre consueuerunt; sic tres hosce characteres: מיא : גבריא : רפא ad significandum Angeli nomen impropriè vident vsurpari, nisi nomen Dei אל *El* addatur, & fiat, מיכאל : גבריאל : רפאל : *Michaël, Gabriël, Raphaël.* ita ijdem quoque in alijs Angelicis nominibus sacram scripturam imitantes dicunt *Raziel, Iophiel, Tsadkiel, Beliel, Maltiel, Vriel*, & pari passu cœtera. Sunt autem duo nomina Dei Angelis maximè congrua אל *El*, & יה *Iah*; quorum hoc beneficia & misericordiam Dei in operibus suis elucescentẽ, illud vim & energiã fortitudinis & iudicij aptè designat, iuxta illud:

Cabalici quomodo Angelorum nomina formant.

Duo nomina Dei Angelis optimè congruunt אל & יה.

יה

יה שחוא עולם הרחמים אדנישחוא עולם חדין :: *Si iniquitates obseruaueris* יה *Iah, Domine, quis sustinebit?* quem versum c. 8. portæ lucis, יה *Iah*, seculum clementiæ, *Adonai* seculum seueritatis iudicij explicat. Optimus igitur nobis Deus est, quia clementissimus; & maximus, quia fortissimus; quæ duo hæc nomina, יה & אל, pulchrè exponunt; quorum alterum si quotocuique septuaginta duorum nominum coniunxeris, efficies septuaginta duo Angelorum, quorum singuli suprà citato Dei nomine tetragrammato signati sunt, nomina. Continentur hæc nomina mysteriosa, vt Cabalici putant, & operosè nimis deducunt, in c. 14. Exodi, in tribus versibus consequentibus 19. 20. 21, quorum primus ita se habet:

Versus tres Exodi 14. continentes 72 Dei & Angelorum nomina.

Versus I. ויסע מלאך האלהים ההלך לפני מחנה ישראל וילך מאחריהם ויסע עמוד הענן מפניהם ויעמד מאחריהם:

Et profectus est Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, & stetit post eos.

Versus II. ויבא בין מחנה מצרים ובין מחנה ישראל ויהי הענן והחשך ויאר את הלילה ולא קרב זה אל זה כל הלילה:

Et venit inter castra Ægyptiorum, & inter castra Israel, & facta est nubes tenebrosa, & illuminauit nocturna, & non sibi appropinquauerunt tota nocte.

Versus III. וימ משה את ידו על הים ויולך יהוה את הים ברוח קדים עזה כל הלילה וישם את הים לחרבה ויבקעו המים:

Et extendit Moyses manum suam super mare, & abstulit Dominus mare in vento Orientali vehemente & vrente tota nocte, & posuit mare in siccũ, & diuisæ sunt aquæ. Atque hi sunt tres versus, quorum vnusquisque septuaginta duas literas continet; ex quorum arcanâ dispositione quomodo septuaginta duarum literarum nomen, seu potiùs septuaginta duo Dei attributa, Angelorumque, quorum ope Moses mare diuisisse putatur, nomina eruantur, videamus qui explicent Cabalistæ. Tametsi enim Galatinus lib. 2. de Arcan. Cathol. verit. totum artificium fusè doceat, quia tamen Lectoris captui non se accommodat, meorum partium esse ratus sum, id paulò fusiùs exponere, est enim hoc vnum e præcipuis Cabalæ arcanis.

Dispositio trium versuum c. 14. Exodi ad eruenda 72. Dei, & Angelorum nomina.

R. Nehunia in Pardes.

Primus versus ויסע, & tertius וימ, scribantur ordine normali seu perpendiculari, progressu literarum naturali; Secundus versus ויבא ordine primo & tertio parallelo quidem, at inuerso, ita vt vltima litera huius, primis dictorum versuum literis respondeat, prout in sequenti schemate patet. Cuius rei rationem assignat R. Nehunia in Pardes, quòd primus versus exhibeat ordinem חסד *Chesed*, id est, *clementiæ*; vltimus verò רחמים, id est, *misericordiæ*; Medius verò versus, cùm ad iudicij & seueritatis ordinem pertineat, & quodammodo primis ordinibus contrariari videatur, haud sine ratione, inuersus ponitur. ita Pardes. Alij alias assignant rationes, quas vide apud Rassi, Tarphon, Borrellum. Schema sequitur.

Vides igitur in hoc præsenti schemate, quomodo tres dicti versus, quorum vnusquisque septuaginta duarum literarum, ita digesti sint, vt primus

primus & vltimus recto, medius inuerso ordine progrediantur: quomodo præterea singulorum tres literæ, vnum nomen Dei tetragrammaton conficiant; quibus si in fine vel יה *Iah*, vel אל *El* adiunxeris, produces septuaginta duo virtutum diuinarum signacula, quibus totidem Angeli, omnes rerum creatarum Classes signant; sunt enim præsides siue in rerum mundanarum administrationem, siue in specierum conseruationem, à diuina prouidentia constituti, quibus vti nomen Dei in se portant, ita omnia ijs obediunt, omnia ijs sese subijciunt; quibus nulla vis resistere, vt aiunt, possit. Verùm sciat Lector, sub Angelo lucido interdum nigram caudam reperiri, dum nihil adeo sanctum est, quo humani generis hostis non sub prætextu diuini cultus ad animarum exitium, vtatur; quod fit, quando ad superstitiosos vsus, & Angelorum aduocationem in rebus non licitis, adhibentur: quare (quod semper monui) nullâ ratione, nisi ab Ecclesia approbata, vsurpanda sunt.

Septuaginta duo Dei nomina ex tribus versibus Exod. 14. capite extracta, de quibus vide Galatinum l. 2. arcanor. Cathol. veritatis.

	ח	י	ו	ה	ו	1	*Vehuiah*
	ל	י	א	ל	י	2	*Ieliel*
Seraphim	ל	א	ס	י	ס	3	*Sitael*
1 Chorus.	ח	י	מ	ל	ע	4	*Ngbelamiah*
	ח	י	ש	ח	מ	5	*Mahasiah*
	ל	א	ח	ל	ל	6	*Lelahel*
	ח	י	א	כ	א	7	*Achaiah*
	ל	א	ח	ח	כ	8	*Cahethel*
	ל	א	ז	ז	ח	9	*Haziel*
	ח	י	ד	ל	א	10	*Aladiah*
	ח	י	ר	א	ל	11	*Laauiah*
Cherubim	ח	י	ע	ח	ח	12	*Hahaiah*
2 Chorus.	ל	א	ל	ז	י	13	*Iezalel*
	ל	א	ח	ב	מ	14	*Mebahel*
	ל	א	י	ר	ח	15	*Hariel*
	ה	ב	ם	ק	ח	16	*Hakamiah*
	ח	י	ו	א	ל	17	*Louiah*
	ל	א	י	ל	ך	18	*Calsel*
	ח	י	ר	ו	ל	19	*Leuuiah*
Throni	ח	י	ל	ח	פ	20	*Pahaliah*
3 Chorus.	ל	א	ב	ל	נ	21	*Nelchael*
	ל	א	י	י	י	22	*Ieiahel*
	ל	א	ח	ל	מ	23	*Melahel*
	ח	י	ו	ח	ח	24	*Hahuiah*

	ח	י	ת	ח	נ	25	*Nithaiah*
	ח	י	א	א	ח	26	*Haaiah*
	ל	א	ח	ר	י	27	*Ierathel*
Dominationes	ח	י	ח	א	ש	28	*Scheheiah*
4 Chorus.	ל	א	י	י	ר	29	*Reiaiel*
	ל	א	מ	ו	א	30	*Omael*
	ל	א	ב	כ	ל	31	*Lecabel*
	ה	י	ר	ש	ו	32	*Vasariah*
	ה	י	ו	ח	י	33	*Iehuiah*
	ה	י	ח	ח	ל	34	*Lehaiah*
	ה	י	ק	ו	כ	35	*Chauakiah*
Potestates	ל	א	ד	נ	מ	36	*Menadel*
5 Chorus.	ל	א	נ	י	א	37	*Aniel*
	ה	י	ם	ע	ח	38	*Haamiah*
	ל	א	ע	ח	ר	39	*Rehael*
	ל	א	ז	י	י	40	*Ieiazel*
	ל	א	ח	ח	ח	41	*Habuel*
	ל	א	כ	י	מ	42	*Michael*
	ה	י	ל	ו	ו	43	*Veualiah*
Virtutes	ה	י	ח	ל	י	44	*Ielaiah*
6 Chorus.	ה	י	ל	א	ס	45	*Sealbiah*
	ל	א	י	ר	ע	46	*Ngheriel*
	ה	י	ל	ש	ע	47	*Asaliah*
	ל	א	ה	י	מ	48	*Mehiel*
	ל	א	ר	ח	ו	49	*Vehuel*
	ל	א	ר	נ	ד	50	*Daniel*
	ה	י	ש	ח	ח	51	*Habasiah*
Principatus	ה	י	מ	מ	ע	52	*Nghimamiah*
7 Chorus.	ל	א	נ	א	נ	53	*Nanael*
	ל	א	ת	י	נ	54	*Nithael*
	ה	י	ח	ב	מ	55	*Mebaiah*
	ל	א	י	ר	פ	56	*Pouiel*
	ה	י	מ	מ	נ	57	*Nemamiah*
	ל	א	ל	י	י	58	*Ieialel*
	ל	א	ח	ר	ח	59	*Harahel*
Archangeli	ל	א	ד	צ	מ	60	*Mitsrael*
8 Chorus.	ל	א	ב	מ	י	61	*Vmabael*
	ל	א	ח	ח	י	62	*Iahahel*
	ל	א	ר	נ	ע	63	*Nghanauel*
	ל	א	י	ח	מ	64	*Mehiel*
	ה	י	ב	מ	ד	65	*Damabiah*
	ל	א	ק	כ	מ	66	*Mankel*
	ל	א	ע	י	א	67	*Eiael*

Angeli

Angeli	כ	י	ו	ב	ח	68	*Habuiah*
9 Chorus.	ל	א	ח	א	ר	69	*Rochel*
	ה	י	מ	ב	י	70	*Iabamiah*
	ל	א	י	י	ה	71	*Haiaiel*
	ה	י	מ	ו	מ	72	*Mumiah*

Atque hoc est nomen illud Dei 72 literarum, ab Hebræis מיוחד vnitiuum appellatum, vnum reuera si essentiam spectes, plura si effectus, quos in vniuerso spectandos exhibet. Hos R. Nehunia אריה vocat, eò quòd tot in 72 hisce nominibus tetragrammati literæ sint, quot sub אריה numeri, videlicet 216. Nam 72 in 3 ducta hunc numerum producunt. hoc idem septuaginta duos pontes appellat, & vnicuique ponti attribuit nomen א, pontes diuinæ misericordiæ, supra quos filij Israël vndantis maris fluctus animo imperterrito transierunt. Hæc arbor in medio paradisi, ad septuaginta duorum Mundi populorum gentiumq; salutem plantata: Epithetes quas Cabalistæ tribuunt nomini Dei 72. literarum. R. Nehunia

האילן גדול בתוך גן עדן בהחענפים שהם תיבות יתפשטו עוד ענפים דקים ועלים והם האותיות :וב"

Arbor magna in medio paradisi, cuius rami dictiones, vlteriùs in ramos parnos & folia, quæ sunt literæ, extenduntur, vim suam & nutrimentum sugentes à tribus dictis versibus, sicuti rami & folia à radice. Omnia verò à supremo fonte deriuantur nominis magni & terribilis, Dei sancti & benedicti, à quo veluti ab archetypæ arboris radice omnia dependent, omnia vegetantur, aluntur, viuunt. Hoc, aiunt, arcanum est Mundi in quatuor Mundi partes diuisi, quorum vnaquæque tres partes habet, altum, imum, medium, quæ in 4 ducta dant 12, quæ respiciunt ad duodecim combinationes Nominis Dei יהוה, quas *Hauioth* dicunt. Sunt præterea in vnaquaque quadruplicis Mundi plaga quatuor columnæ, quæ cum sustentant; non incongruè fulcimenta totius Vniuersi, vnaquæque columna sex partes habet, scilicet quatuor latera cum capite & calce. Si porrò 6 in 12 duxeris, habebis 72; atque hic est numerus ἑβδομηκοντοδυογράμματον septuaginta duarum dictionum in omnes Mundi partes diffusum. Hi sunt, teste R. Amorai in Bahir, id est, *libro speculationum*, duodecim gubernatores, quorum vnusquisque sex potestatibus tremendis præstat, qui inuicem multiplicati dant 72 diuinarum virtutum influxus, per nomen septuaginta duarum literarum exhibitos. Hæc est, teste Zohar, Scala illa Iacob 72 gradibus instructa, cuius apex super Solis Lunæque vias porrectus, in supremo diuinitatis atrio repositus est, per quem Numen in vniuersos entium ordines descendit, Angeli hominesque per eam eò, vnde profluxerunt, reuertentes ascendunt. per hunc veluti per quadruplicem duodenarium 12 signa Zodiaci, 12 Menses, quorum præsides totidem, atq; adeo per heptacosiadyadem omnia, opinione Rabbinorum, gubernantur, sustentantur & conseruantur. Hoc nomen ijs exhibet cubum illum mysticum, qui per trinam icositetradem ad 72 ascendit. R. Amorai. Vsus Nominis Dei 72. literarum secundùm Cabalistas.

Atque hæc omnia fusè in Pardes, ex quo ea decerpsimus, pertractantur. Vidimus Nominis septuaginta duarum literarum mysteria; iam vsumquoque horum nominum ex mente Cabalicorum tradamus.

Ridiculum figmentum Cabalistarum de efficacia 72. Dei nominum.

Putant Cabalæ Magistri, Deum per huiusmodi septuaginta duo nomina, Angelosque diuinarum virtutum dispensatores, singulari & mirâ quâdam ratione, hominibus ritè dispositis, & mysteriorum sub hisce nominibus latentium peritis sese insinuare, dummodo fide rectâ, & sincerâ intentione ijs in orationibus suis vtantur. Cùm enim secundùm naturæ & gratiæ gradus disposita sint, inde mirum quendam nasci rerum sensibilium cum insensibilibus consensum & sympathiam putant, quam qui in tanta naturarum diuersitate, ad vnitatem reuocare nouerit, illum credunt per hæc, & Angelos rerum præsides, & Deum supremum omnium moderatorem ad suis obsequendum postulatis veluti trahere, & sui iuris facere posse. Nam vt R. Manahem Racanati hoc loco Exodi tradit:

R. Manahem Racanati.

אותיות פורחות למעלה בעיקר המרכבה וחם ממונים לעשות כל דבר בהם ופעולתיהם יודעים למקובלים:

Characteres hi sunt volantes superne in fundamento sapientiæ spiritualis, & sunt administratorij spiritus seu præfecti ad omnia per eos expedienda, eorumque operationes notæ sunt Cabalistis. Hoc R. Akiba ait procedere de throno gloriæ Dei. Quemadmodum enim, ait, Imperator per subordinatos sibi Principes, Duces, Comites, Barones, Nobiles omnia Imperio suo subiecta gubernat, vnus per diuersos riuos in alia & alia Regni sui membra influens; ita Deus Optimus Maximus per diuersos Angelorum ordines, omnia quæ Mundi ambitu concluduntur, moderatur, iuxta illud Danielis:

R. Akiba.

וכמצבה עבד בחיל שמיא ודארעא:

Et secundùm voluntatem suam facit in exercitu cœlorum, & habitatoribus terræ. Sed vt ad institutum reuertamur;

Sunt hæc septuaginta duo nomina instar instrumenti septuaginta duarum chordarum harmonicè aptatarum, in quo sicut non quælibet cum quibuslibet consonant, vt fusè nos in decachordo naturæ Musurgiæ nostræ vniuersalis demonstrauimus, sed quæ certam & concinnam proportionem ad se inuicem habent, intentam harmoniam perficiunt; ita non pro quibuslibet rebus, quælibet nomina pronuncianda esse sentiunt, sed ea, quæ ad res quas postulant, occultam quandam proportionem & sympathiam habent. Sic Angelus ignis ad fidei suæ commissum elementum, occultam proportionem habet, vt signans ad signatum; quam proportionem qui nouerit, facilè dicunt Cabalici, se ab omni ignis damno liberare poterit, ritè illum inuocando: Hinc Cabalici ex libro Psalmorum nonnullas sententias, non tam humanâ, quàm, vt putant, diuinâ prouidentiâ mortalium fragilitati traditas receperunt, quarum singulæ, dum vnum ex dictis Dei Angelorumque nominibus, vnà cum nomine Dei tetragrammato, (vno non sine causa, quod initium Geneseos refert, excepto) inclusum tenent, eas summâ & omninò superstitiosâ obseruatione, in aduersitatibus quibuscunque ad malorum fugam, bonorumque, & cha-

Superstitiosa Cabalistarum deuotio recitandis quibusdam Psalmorum sententijs.

charismatum diuinorum assecutionem, spe plenâ, & fide summâ in Deum erecti, de Angelo ad Angelum, vti per Scalam quandam Iacob, ascendentes, recitare consueuerunt.

Habet hæc Scala, vti diximus, septuaginta duos gradus; quilibet autem versus vnum gradum notat; eorum vnusquisque tres continet sacros characteres, ex quibus diuini Spiritus inspiratione vnum conflatur signaculum, summâ reuerentiâ, vt dicunt, colendum, obseruandumque, tribus literis formatum, cui esse perhibent inclusum Dei Angelum, diuini nominis maiestate insignitum. Hi autem sunt septuaginta duo Angeli, qui descendunt & ascendunt; in quorum virtutes augustum diuinitatis nomen שם המפורש *Schem hammephoraschh* resoluitur, & eisdem Angelicis tandem syllabis instauratur; non quod resolutum desierit esse nomen, aut quod instauratum esse cœperit, sed quod veluti Sol radiorum multiplicatione, & diffusi luminis coruscatione, omnia impleat: Quod enim in sensibili Mundo Sol, hoc in insensibili Deus. Sed ne quicquam omisisse videamur, dictos 72 versus, singulos nomine Dei, & Angelorum signatos, apponemus, postea quoq; iudicium nostrum circa ea apposituri.

Septuaginta duo versus ex diuersis Psalmis extracti, quibus dicta Dei, Angelorumque nomina continentur; collecti ex variorum Rabbinorum monumentis.

Horum nominum interpretatio.	Nomina Angelorum cũ adiectione יה *Iah* vel אל *el.*		
Deus Exaltator.	רוחו	ואתה יהוה מגן בעדי כבודי ומרים ראשי: *Et tu Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Ps. 3. v. 4.	1 Versus.
Auxiliator.	ילי	ואתה יהוה אל תרחק אילותי לעזרתי חושה: *Tu autem Domine nè elongaueris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice.* Ps. 21. v. 20.	2 Versus.
Spes.	סיש	אומר ליהוה מחסי ומצודתי אלהי אבטח בו: *Dicam Domino, susceptor meus es, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum.* Ps. 90. v. 2.	3 Versus.
Absconditus.	עלם	שובה יהוה חלצה נפשי הושיעני למען חסדך: *Conuertere Domine, eripe animam meam; saluum me fac propter misericordiam tuam.* Ps. 6. v. 5.	4 Versus.
Saluator.	מחש	דרשתי את יהוה וענני מכל מגורותי הצילני: *Exquisiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Ps. 33. v. 5.	5 Versus.

6 Versus. **Laudabilis** ללח
זמרו ליהוה יושב ציון הגידו בעמים עליליותיו :
Psallite Domino, qui habitat in Sion, annunciate inter gentes studia eius. Ps. 9. 12.

7 Versus. **Longanimis.** אכא
רחום וחנון יהוה ארך אפים ורב חסד :
Miserator & misericors Dominus, longanimus, & multum misericors. Ps. 102. v. 8.

8 Versus. **Adorandus.** כחת
באו נשתחוה ונברעה לפני יהוה עשינו :
Venite adoremus & procidamus ante faciem Domini, qui fecit nos. Ps. 94. v. 6.

9 Versus. **Misericors.** חזי
זכור רחמיך יהוה וחסדיך כי מעולם המה :
Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ à seculo sunt. Ps. 24. 6.

10 Versus. **Propitiabilis.** אלד
יהי חסדך יהוה עלינו כאשר יחלנו בך :
Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speraui mus in te. Ps. 32. v. 22.

11 Versus. **Exaltandus.** לאו
חי יהוה צורי ורום אלהי ישעי :
Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Ps. 17. 47.

12 Versus. **Refugium.** חחע
למה יהוה תעמוד ברחוק תעלים לעתות בצרה :
Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Ps. 10. 1.

13 Versus. **Super omnia decantabilis.** יול
הריעו ליהוה כל הארץ פצחו ורננו וזמרו :
Iubilate Domino omnis terra, cantate, exultate, & psallite. Ps. 97. v. 4.

14 Versus. **Custos & Seruator.** מבח
ויהי יהוה משגב לדך משגב לעתות בצרה :
Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Ps. 9. v. 9.

15 Versus. **Subleuator.** חרי
ויהי יהוה לי למשגב ואלהי לצור מחסי :
Et factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium spei meæ. Ps. 2. v. 2.

16 Versus. **Erector.** חקם
יהוה אלהי ישועתי יום צעקתי בלילה נגדך :
Domine Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te. Ps. 87. v. 2;

17 Versus. **Mirabilis.** לאו
יהוה אדונינו מה אדיר שמך בכל הארץ :
Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Ps. 8. v. 2.

18 Versus. **Inuocandus.** כלי
שפטני כצדקתך יהוה אלהי ואל ישמחו לי :
Iudica me secundùm iustitiam tuam Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi. Ps. 34. v. 24.

19 Versus. **Festinus ad audiendum.** לוי
קוה קויתי יהוה ויט אלי וישמע שועתי :
Exspectans exspectaui Dominum, & intendit mihi. Ps. 39. v. 2.

ובשם

20 Versus. **Redemptor.** פחל
ובשם יהוה אקרא אנא יהוה מלטה נפשי :
Et nomen Domini inuocabo, ò Domine, libera animam meam. Ps. 119. v. 2.

21 Versus. **Solus.** גלך
ואני עליך בטחתי יהוה אמרתי אלהי אתה :
Ego autem in te speraui Domine, dixi, Deus meus es tu. Ps. 30. v. 15.

22 Versus. **Dextera.** יוי
יהוה שמרך יהוה צלך על ידימינך :
Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam. Ps. 120. v. 5.

23 Versus. **Declinans malum.** מלח
יהוה ישמר צאתך ובואך מעתה ועד עולם :
Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc, nunc, & vsque in seculum. Ps. 120. v. 8.

24 Versus. **Bonus ex se-ipso.** חחו
רוצה יהוה את יראיו ואת המיחלים לחסדו :
Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eos qui sperant super misericordiam eius. Ps. 35. 5.

25 Versus. **Largitori** נחח
אודה יהוה בכל לבי אספרה כל נפלאותיך :
Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Ps. 9. v. 2.

26 Versus. **Auditor in abscondito.** חאא
קראתי בכל לב ענני יהוה חקיך אצרה :
Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine, iustificationes tuas requiram. Ps. 118. v. 145.

27 Versus. **Propulsator.** ירח
חלצני יהוה מאדם רע מאיש חמסים תנצרני :
Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Ps. 139. v. 1.

28 Versus. **Sublator malorum.** שאח
אלהים אל תרחק ממני אלהי יהוה לעזרתי חושה :
Deus nè elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice. Ps. 70. v. 12.

29 Versus. **Expectatio.** ריי
הנה אלהים עוזר לי יהוה בסומכי נפשי :
Ecce Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. Ps. 53. v. 7.

30 Versus. **Patiens.** אום
כי אתה תקותי יהוה אדני מבטחי מנעורי :
Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea. Ps. 70. v. 5.

31 Versus. **Doctor.** לכך
אבא בגבורות יהוה אלהים אזכיר צדקתך לבדך :
Introibo in potentiam Domini, Deus memorabor iustitiæ tuæ solius. Ps. 70. v. 16.

32 Versus. **Rectus.** ושר
כי ישר דבר יהוה וכל מעשיהו באמונה :
Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide. Ps. 32. v. 4.

33 Versus. **Omnium cognitor.** יחו
יהוה יודע מחשבות אדם כי המה הבל :
Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Ps. 83. v. 11.

יחל

34 Verſus. Clemens. לחח יחל ישראל אל יהוה מעתה ועד עולם:
Speret Iſraël in Domino, ex hoc, nunc, & vſque in ſeculum. Pſ. 130. v. 3.

35 Verſus. Gaudioſus. רכוק אהבתי כי ישמע יהוה את קולי תחנוני:
Dilexi quoniam exaudiuit Dominus vocem deprecationis meæ. Pſ. 114. v. 1.

36 Verſus. Honorabilis. מנר יהוה אהבתי מעון ביתיך ומקום משכן כבודך:
Dilexi, decorem domus tuæ, & locum habitationis tuæ. Pſ. 25. v. 8.

37 Verſus. Dominus Virtutum. אני יהוה אלהים צבאות השיבנו האר פניך ונושעה:
Domine Deus virtutum, conuerte nos; oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Pſ. 79. v. 4.

38 Verſus. Spes omnium finium terræ. חעם כי אתה יהוה מחסי עליון שמת מעונך:
Quoniam tu es, Domine, ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Pſ. 90. v. 9.

39 Verſus. Velox ad condonandum. דחע שמע יהוה וחנני היה עזר לי:
Audiuit me Dominus, & miſertus eſt mei, Dominus factus eſt adiutor meus. Pſ. 29. v. 11.

40 Verſus. Vinum lætificans. יין למה יהוה תזנח נפשי תסתיר פניך ממני:
Vt quid Domine repellis animam meam, auertis faciem tuam à me. Pſ. 87. v. 15.

41 Verſus. Triunus. חחח יהוה הצילה נפשי משפת שקר מלשון רמיה:
Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Pſ. 119. v. 1.

42 Verſus. Quis ſicut ille. מיכ יהוה כשמיך מכל רע ישמר את נפשך:
Dominus cuſtodiat te ab omni malo, & cuſtodiat animam tuam. Pſ. 120. v. 7.

43 Verſus. Rex Dominator. ורל ואני אליך יהוה שועתי ובבקר תפלתי תקדמך:
Et ego ad te Domine clamaui, & manè oratio mea præueniet te. Pſ. 87. v. 14.

44 Verſus. Æternùm manens. ילח נדבות פי רצה נא יהוה משפטיך למדני:
Voluntaria oris mei beneplacita ſunt Domino, & iudicia tua doce me. Pſ. 118. v. 108.

45 Verſus. Motor omnium. מאל אם אמרתי מטה רגלי חסדך יהוה יסעדני:
Si dicebam motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabit me. Pſ. 93. v. 18.

46 Verſus. Reuelator. ערי טוב יהוה לכל ורחמיו על כל מעשיו:
Bonus Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Pſ. 114. v. 9.

47 Verſus. Iuſtus Iudex. עשל מה גדלו מעשיך יהוה מאד עמקו מחשבתיך:
Quam magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Pſ. 91. v. 6.

Pater mittens. מיח הודיע יהוה ישועתו לעיני הגוים גילה צדקתו: 48 Verſus.
Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu reuelauit iuſtitiam ſuam. Pſ. 97. v. 2.

Magnus & excelſus. והח גדול יהוה ומהלל מאד ולגדלתו אין חקר: 49 Verſus.
Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Pſ. 144. v. 3.

Iudex miſericors. דני חנון ורחום יהוה ארך אפים וגדול חסד: 50 Verſus.
Miſerator & miſericors Dominus patiens, & multum miſericors. Pſ. 85. v. 15.

Secretus impenetrabilis. החש יהי כבוד יהוה לעולם ישמח יהוה במעשיו: 51 Verſus.
Sit gloria Domini in ſeculum, lætabitur Dominus in operibus ſuis. Pſ. 103. v. 31.

Caligine tectus. עמם אודה יהוה בצדקתו ואזמרה שם יהוה עליון: 52 Verſus.
Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius, & pſallam Nomini Domini altiſſimi. Pſ. 7. v. 18.

Superborum depreſſor. אנג ידעתי יהוה כי צדק משפטיך ואמונה עניתני: 53 Verſus.
Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua; & in veritate humiliaſti me. Pſ. 118. v. 75.

Rex cœleſtis. ניח יהוה בשמים הכין כסאו ומלכותו בכל משלה: 54 Verſus.
Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur. Pſ. 102. v. 19.

Sempiternus. מבה ואתה יהוה לעולם תשב זכרך לדור ודור: 55 Verſus.
Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem. Pſ. 103. v. 13.

Fulciens omnia. פוי סומך יהוה לכל הנפלים וזוקף לכל הכפופים: 56 Verſus.
Alleuat Dominus, qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Pſ. 144. v. 14.

Amabilis. נמס יראו יהוה בטחו בו עזרם ומגנם הוא: 57 Verſus.
Qui timent Dominum, ſperauerunt in eo, adiutor & protector eorum eſt. Pſ. 113. v. 9.

Auditor gemituum. ייל ונפשי נבהלה מאד ואתה יהוה עד מתי: 58 Verſus.
Et anima mea turbata eſt valdè, ſed tu Domine vſquequò. Pſ. 6. v. 4.

Omnia penetrans. חרח ממזרח שמש עד מבואו מהלל שם יהוה: 59 Verſus.
A Solis ortu vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini. Pſ. 112. v. 3.

Subleuans oppreſſos. מצר צדיק יהוה בכל דרכיו וחסיד בכל מעשיו: 60 Verſus.
Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Pſ. 144. v. 17.

61 Versus.	Super omne nomen.	ומב	יהי שם יהוה מבינך מעתה ועת עולם : *Sit nomen Domini benedictum ex hoc, nunc, & vsque in seculum.* Ps. 122. v. 1.
62 Versus.	Ens supremum.	יחה	ראה כי פקודיך אהבתי יהוה בחסדך חייני : *Vide quoniam dilexi mandata tua Domine, in misericordia tua viuifica me.* Ps. 118. v. 159.
63 Versus.	Mansuetus.	ענו	עבדו את יהוה בשמחה בואו לפניו ברנה : *Seruite Domino in lætitia, introite in conspectu eius in exultatione.* Ps. 99. v. 2.
64 Versus.	Viuificans.	מחי	הנה עין יהוה על יראיו למיחלים לחסדו : *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.* Ps. 32. v. 18.
65 Versus.	Fons Sapientiæ.	דמב	שובתי יהוה עד מתי ונחם על עבדיך : *Conuertere Domine vsquequo, & deprecabilis esto super seruos tuos.* Ps. 89. v. 13.
66 Versus.	Omnia pascens & lactens.	מנק	אל תעזבני יהוה אלהי אל תרחק ממני : *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.* Ps. 21. v. 12.
67 Versus.	Deliciæ filiorum hominum.	איע	והתענג על יהוה ויתן לך משאלות לבך : *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ps. 36. v. 4.
68 Versus.	Liberalissimus Dator.	חבו	הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* Ps. 105. v. 1.
69 Versus.	Omnia videns.	ראת	יהוה מנת חלקי וכוסי אתה תומיך גורלי : *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es, qui restituis hæreditatem meam mihi.* Ps. 15. 5.
70 Versus	Verbo omnia producens.	יבם	בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ : *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Gen. 1.
71 Versus	Dominus vniuersorum.	היו	אודה יהוה מאד בפי ובתוך רבים אהללנו : *Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.* Ps. 108. v. 30.
72 Versus.	Finis vniuersorum.	מום	שובי נפשי למנוחיכי כי יהוה גמל עליכי : *Conuertere Domine in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Ps. 114. v. 7.

Atque hæc sunt septuaginta duo nomina sub vno Dei nomine tetragrammato comprehensa, vti versus septuaginta duo ex varijs Psalmorum locis extracti satis declarant, in quorum singulis inuenies nomen Dei tetragrammaton יהוה, & præterea vnum ex istis nominibus, quæ ex Cabalica dispositione trium versuum Exodi 14. ויסע ויבא ויט emer-

emerserunt; quæ vt faciliùs inuenirentur, primò nomen Dei tetragrammaton יהוה, deinde nomen Dei, vel Angeli ex dictis versibus excerpti, singula maiusculis expressimus. Sic in primo versu inuenies nomen Dei יהוה, deinde יהי nomen Dei vel Angeli pariter maiusculis expressum, quod & in prima columna ante versum vnà cum interpretatione eius posuimus; & sic in singulis versibus processimus. Porrò sunt ex secretioribus Cabalistis, qui dicta 72 nomina multis alijs modis per combinationem tabulæ Ziruph varient; ita commutatio per Abgad instituta dat aliam combinationem; per Atbasch aliam, & sic de cœteris; de quibus vide Tarphon & Botrellum in libro Ietsirah. Vocales verò siue puncta singulis vocalibus affixa, eadem sunt cum punctis, quæ affinguntur literis in tribus versibus citatis correspondentibus, vti rem examinanti patebit. Scias quoque, nomina Latina, quæ nominibus ex tribus Exodi versibus extracta correspondent, non explicare nomina illa trilittera, sed versus Psalmorum ex quibus extrahuntur; adeo quidem, vt ista nomina trilittera tantùm signa quædam sint septuaginta duorum versuum sub quibus latent.

Nota hic Lector, quòd tametsi in dictis 72 nominibus nihil, in quantum præcisè attributa Dei explicant, periculi existat; quia tamen Rabbini inter terminos legitimos contineri nescij, multa inde concludunt, atque adeo ipsos Christianos docent, quæ periculo non careant, imò tanquam animabus pernitiosa, vt dum eadem ad varia philacteria & amuleta, superstitiosis obseruantijs referta, adhibent; meritò Christiano homini & verè Catholico eorum vsus prohibitus esse debeat. Adde prædictam 72 nominum ex versibus Psalmorum extractionem esse merum Rabbinorum figmentum; quod vel inde patet, quòd vix vllus Psalmus sit, in quo non eadem reperire liceat nominum figmenta trisyllaborum; ac proinde non tanti facienda sunt, quanti Rabbini putant.

CAPVT VII.

Quod nomen Dei tetragrammaton priscis Paganisque scriptoribus haud fuerit incognitum, & quod in nomine IESV omnia quæ hucusque dicta sunt, contineantur.

NOmen Dei tremendum & adorandum, tale est, vt eo præter Deum, solum primum, nihil aliud denominari possit ac debeat: hic enim, cùm omnia operetur in omnibus, nihil tamen operum suorum à se denominat, nil appellat & afficit. Vnde propter excessiuam & super omnia transcendentem sublimitatem eius, dum parem dictionem nomenque non inuenirent Hebræi veteres, *Adonai*, id est, *Dominum* appellauerunt; quod & multis varijsq; modis, vti suprà dictum est, occultare sategerunt, nè frequenti contrectatione contaminaretur tantæ maiestatis diuino Verbo prolatum Sacramentum. Estque hoc יהוה nomen tetragrammaton

αὐτοφύντος, non ab hominibus repertum, sed à Deo traditum; nomen sanctum & honorandũ; nomen vnum, quo solus Deus est benedicendus religione paternâ; nomen potentissimum, quod colunt Superi, obseruant inferi, osculatur vniuersalis natura, quod ab assiduis cultoribus imbibitum, & sacerdotalibus mentibus, vt ita dicam, incorporatum, mirifica dicitur imperia humanæ facultati concedere. Hoc vnicum Sacrosanctæ Triadis symbolum, posteris tandem reuelatum; hoc vnicum humanæ redemptionis per IESVM Mundi Saluatorem, cuius nomen, vt posteà dicetur, implicitè continet, signum & tessera est; omnium diuinorum nominum epitome & anacephalæosis. Quod & ipsi Pagani Philosophi & Poëtæ nullo non tempore tanquam mysteriorum omnium compendium in summa habuerunt veneratione. Ægyptij ab Hebræis primis Mundi Patriarchis illud accipientes, inter arcana sua hieroglyphica concluserunt; quamuis id non literis, sed mysteriosâ indigitatione, eo quo sequitur modo expresserunt. Globum pingebant alatum, binis hinc serpentibus crumpentibus, cum apposita decussi. Per globum denotabant essentiam Dei inaccessam & absconditam, quam paternum fundum appellabant; & per decussim, cuius symbolum apud Hebræos erat י Iod, significatur numerus denarius, idem qui apud Ægyptios X siue decussis, totius vniuersitatis nota, principium & finis omnium, vltra quem nullus numerus, pondus, & mensura. Per binos serpentes hinc inde erumpentes nihil aliud designabant nisi duo חח; quæ cùm apud Hebræos nota sit Verbi diuini, & Sapientiæ Patris, ideo Ægyptij ad huiusmodi literas exprimendas, vsi sunt binis serpentibus, quòd serpens esset symbolum vitæ, & præter os nullo alio membro constaret; quod proprium est Verbi diuini, iuxta illud, *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*; quamuis nos etiam duplicem in Verbo, diuinam & humanam naturam per illa non tam creditam, quàm diuino instinctu vaticinatam fuisse dicimus. Per binas alas spiritum πανδύναμον, id est, omniformem significant, qui cùm nexus sit diuinarum personarum, appositè sanè illum loco ו Vau, quod & in tetragrammato nexus dicitur, per binas alas globum cum serpentibus veluti in vnam essentiam cogentes stringentesq; expresserunt. Atque hoc nomen ⲥⲉⲙⲉϥⲏ appellabant, hoc est, *in eo Deus*. Hoc pacto itaq; Ægyptij nomen illud, quod Hebræi שם המפורש *Schem hammephoraſch* vocant, arcanissimo sanè symbolo signabant. Præterea passim illud expansum quoq; quatuor alijs separatis symbolis Ægyptios expressisse reperio; denotaturque per oculum, sceptrum, scutum hexagonum, & serpentem, quæ sæpè sæpius inter hieroglyphica occurrunt,

Pagani Philosophi & Poëtæ nomen Dei in honore habuerunt

Nominis tetragrammati hieroglyphicum quomodo Ægyptij exhibuerint.

X

Primum hieroglyphicum.

Secundum hieroglyphicum.

runt, & nihil aliud sunt, quàm supradicti globi alati serpentiferi expansa signatio; dum per oculum, Deum omnia intuentem; per sceptrum, eius in omnia dominium; per alam, omnia penetrantem; per serpentem, omnia animantem significant, quatuor symbolis vnius & eiusdem essentiæ diuersas virtutes & proprietates designantes. Loco alæ quoque scutum hexagonum positum reperio; aptè sanè eo, si vllo alio, literam ו Vau in nomine יהוה signantes: sicuti enim ו senarium numerum indicat vniuersitatis connexum, ita scutum hexagonum. quæ omnia fusè suis locis explicabimus.

Hos secutus Pythagoras, quem nomen hoc Dei semper maioris duxisse reperio, quàm cœtera cuiuscunque religionis arcana, quod & à tetragrammato tetractyn vocat, perpetuæ naturæ fontem in animos nostros manantem, omnibus Dijs Deorumque virtutibus excellentiorem; de qua cùm amplè varijs in locis tractemus, superuacaneum esse ratus sum, eidem diutiùs inhærere. Imitati sunt præstantissimi quique Poëtæ, vti reliqua eius philosophiæ, sic & hoc arcanum contemplandi genus, qui Mundi chaos in quatuor elementa, Cœlum in quatuor anni partes, Aërem in quatuor ventos, Terram in quatuor plagas dispescunt. Stoici vitæ nostræ splendorem in quatuor virtutes diuidunt. Mathematici vnum in quaternarium partiuntur: vnum enim cùm perumpit in actum, numerus est tetragonus, vnde vnum potestate tetragonum appellant, vt in Arithmetica hieroglyphica videbimus: hoc verò sub quatuor terminis perfectè consumatur; nam 1, 2, 3, 4, iuncta simul denarium conficiunt, quem & י Iod, & duo חח in nomine Dei יהוה referunt. Hinc quicquid sensibile est & quantitatiuum, à Mathematicis ad punctum, lineam, superficiem, corpus reducitur. Physici omnia ad quatuor reducunt capita, spermaticam naturæ vim, & pullulationem naturalem, formam adolescentem, compositum. Metaphysici denique ad essentiam, esse, virtutem, & actionem. Quæ sanè mirificè quaternionem hunc nostrum explicant; vt sit principio punctus, semen, essentia; secundò linea, pullulatio, esse; tertiò, superficies, forma, virtus; quartò corpus, compositum, actio. In toto itaque Mundi ambitu, illiusque singulis partibus, diuinus ille relucet quaternio, tantopere à nullo non veterum Philosophorum decantatus. Orpheus quid aliud per Musam, Dionysium, Apollinem, & Venerem, nisi diuinum huius nominis quaternionem, verbis quidem diuersam, reipsa tamen vnam & eandem diuinitatem descripsit? Sicuti enim nomen Dei tetragrammaton omnes diuinorum influxuum partes aperit, sic dicta quaterna Numina mentibus nostris instillant Deificos attractûs, Musa poësin, Dionysius mysterium, Apollo vaticinium, Venus amorem, vti suprà capite de furore poëtico relatum est. Sed huius quaternarij numeri virtutes in Arithmetica mystica copiosiùs prosequemur.

Pythagoræ tetragrammaton Dei nomen in veneratione.

Poëtæ etiam id venerati sunt, cum Philosophis & Mathematicis.

Quaternio in omnibus Mundi partibus elucet.

Circumferuntur etiam hoc tempore Medalia quædam, vel potiùs Cameæ Gnosticorum, in quibus hoc verbum sæpesæpius incisum spectabis, ΙΑΩ; quod etsi corruptum, nihil tamen aliud, quàm nomen Iehoua te-

ΙΑΩ Gnosticorum quid significet.

Iouis nomen à יהוה Iehoua deductum.

Iuppiter quatuor auribus pingebatur Lacedæmonijs.

ua tetragrammaton signat, vt alibi docebitur; eoque insinuare volebant, quandam Dei Optimi Maximi, antequam in operationem exiret, veluti quaternionis ideam. Lacedæmonij hanc eandem ob causam summum Iouem, id est, Iehoua (ab hoc enim nomine Iouis nomen deductum esse, nemo dubitare debet) quatuor auribus rectè depingere consueuerunt, eò quòd ipse summus esset quaternio, & verus tetractys, cuius emanatio per formam quidem in Angelis, per participationem verò in animalibus rationalibus, per imaginariam in rationis expertibus, per vmbratilem in corporum figuris reperitur, & sempiternæ cuiusdam pluuiæ consueto more ab excelso ad nos defluit, vniuersa rigando. Huc quoque alludere videtur celeberrima illa crux ansata, quæ passim hieroglyphicorum simulachrorum manibus inserta, & Serapidis fronti insculpta, spectatur, de qua vide Obeliscum Pamphil. fol. 365. & seqq. Porrò in Plauti versibus Punicâ linguâ prolatis ad hoc nomen venerandum alluditur.

Quomodo in nomine IESV tetragrammaton implicite continea tur.

Venio modò ad id, quod in principio demonstrandum assumpseram, videlicet nomen Messiæ nihil aliud esse nisi nomen illud admirabile & venerandum tetragrammaton יהוה, tot mysterijs decantatum, tot ac tantis sacramentis præfiguratum. Cùm enim Messias, Verbum incarnatum, Sapientia Patris, Christus inquam, totius Sacræ scripturæ finis sit, & ob Christum totus adeo Mundus productus sit; certum est, nomen eius admirabili & incomprehensibili diuinæ Sapientiæ consilio, Angelico primùm eloquio hominibus manifestatum, mysterijs plenissimum, & suprà quam cogitari potest, arcanum esse, iuxta illud Luc. 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM; hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*. De quo iam dudum vaticinatus Isaias, dicebat;

ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אב עד שר שלום:

Et paruulus natus est nobis, filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Nomen igitur tetragrammaton יהשוה *Ihsuh*, nomen super omne nomen, nomen mirificum, non iam ampliùs ineffabile, non tetragrammaton, quia nomen Dei tetragrammaton implicitè continet, pentagrammaton tamen, quia Deus ex abysso diuinitatis egrediens carne vestitus Mundo apparuit; nec vllum aliud nomen sub cœlo est, in quo nos oporteat saluos fieri, nisi in nomine יהשוה *Ihsuh*, nomen sanctissimum & religiosissimum, cuius literæ Deus, cuius syllabæ Spiritus, cuius dictio Deus & homo est. Siquidem totius huius diuinæ dictionis יהשוה *Ihsuh* duæ sunt syllabæ, quarum prior ex vocalium vim gerentibus, secunda ex reliquis, assumpta ש consonante, oritur. Vocales diuinitatis latentis sunt symbola, iuxta illud: *Spiritus vbi vult, spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat*. Hoc pacto Moses vocem Dei loquentis, quem non vidit, audiuit. Consonans verò ש tametsi ex se nullum oris sonitum promat, consonat tamen vocalibus iuncta; sic nomen Dei אש, quod ignem signat, nam *Deus ignis consumens, conterens petras* &c. Atque hic est ignis ille diuinus, quem nobis Deus in terra pariter cum paterna voce ostendit, dicens: *Hic*

Hic est Filius meus dilectus: quin & ipse se ignem nominans palàm dicit; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* & Spiritus sanctus in igne discipulis apparuit. ש *Schin* itaque triplici literarum ductu effigiatum, atque in medio Nominis Dei tetragrammato יהוה insertum, aliud nihil nobis designat, nisi vnam sub trina hypostasium proprietate naturam; ita quidem, vt nomen Dei יהוה essentiæ & naturæ diuinæ vnitatem, ש verò trium personarum cum natura vnitatem aptè exprimant. Et nomen quidem tetragrammaton cùm humana voce enunciari nec posset, nec deberet; æquum erat, incarnandum Dei Verbum præter nomen Dei tetragrammaton, alium sibi characterem, quo ἀδιαφώνητον, id est, *inenunciabili sono*, inuisibilis Dei ineffabilis nota, visibilis atque humano ore enunciabilis foret, assumere; vt dum Deus in carne visibiliter apparuit, nomen quoq; gereret pronunciabile, & ab omnibus eum timentibus inuocabile, vt videlicet in nomine יהשוה *Ihsuh* omne genu flecteretur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Atque ad hoc præstandum, siue mysteriosam literæ dispositionem, siue significationem ipsam spectes, aptior litera assumi non poterat, quàm litera dentalis ש *Schin*, vt pluribus probat Archangelus Nouoburgensis in libro de nomine IESV, & Reuchlinus de Verbo mirifico. Hæc itaque est vox Dei, cœlo sublimior, inferno profundior, libera periculis, vmbrarum hostis, laruarum contemptrix, simulachrorum perosa, vniuersis imperans, omnium noxiorum expultrix, fati & naturæ victrix. Huius virtute claudus à natiuitate à Petro surgere iussus, ambulat, Dæmones eijciuntur, sanitas omnibus restituitur; nomen omnipotentia plenum. In hoc omnia diuina concluduntur nomina, quæ in hanc metam vniuersa consonant, quod Christus est Dei Verbum, id est, Filius ex substantia Patris, absque principio solus gemitus & vnigenitus, character & figura paternæ substantiæ, splendor gloriæ, filialis hypostasis, & persona Verbi, sigillum Patris, lumen de lumine, imago Dei, virtus & Sapientia, via, ianua & ostium, Dei Filius Amantissimus, Optimus, Maximus, Deus Sempiternus, Ineffabilis, Incomprehensibilis, Immobilis æternitas, qui est vnus omnia, & omnium quæ sunt, primordium: iste enim Creator omnium, per ipsum enim facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil. Idem ipse ignis consumens, lux, dies, olympus, Rex Regum, & Dominus dominantium, Deus Deorum, Sanctus sanctorum, Deus Abraham, Isaac, & Iacob; solus altissimus, excelsus, sublimis, habitans æternitatem, Princeps, Dux, primus & nouissimus, α & ω, principium, medium, & finis vniuersæ creaturæ; caput & oculus hominis, perfectio, pax, iustitia, pulchritudo, sapientia, immortalis prouidentia, charitas & amor, per esse suum agens cuncta semper & vbique. Vnitas, veritas, & bonitas, animus, ratio, Sol, radius, fons vitæ, pelagus bonitatis, causa causarum, Pater omnium, Creator, Protector, Saluator, Redemptor, vir pugnator, faciens mirabilia, conterens bella, viuificus Dominus, zelotes, Deus omnipotens, admirabilis, magnus, terribilis, antiquus dierum, permanens, fortis Dominus, virtu-

Attributa Christi.

virtutum & vita ſempiterna: quæ omnia fusè proſequitur D. Dionyſius l. de diuinis nominibus. His & ſimilibus nominibus Verbum cum reliquis Perſonis vt plurimùm celebratur; Quæ quidem effectibus diuiſa, reuera tamen vnum & idem nomen ſunt; nomen admirabile, tetragrammaton, quod tam ſollicitè primi Patres quæſiuerunt, tam ſtudiosè contemplati ſunt Prophetæ, poſteri tandem ipſo Verbo diuino Doctore & Reuelatore, tam copioſos & vberes diuinorum myſteriorum theſauros ſub eo latentes cum vera eiuſdem ſignificatione perfectè aſſecuti ſunt. An non mirabile eſt, & omnem humanæ capacitatis metam tranſcendens, Deum hominem factum, Deum & hominem vnam perſonam, duas naturas, & quod maius eſt, in vno corpuſculo naturæ Dominum & naturam. Natus quidem fuit, ſed & antè genitus; de ſexu muliebri, quod humanum eſt; ſed & de Virgine incorrupta, quod diuinum; Hinc ſine patre, illinc ſine matre, vtrumque diuinitatis opus mirificum; in vtero portatus, ſed & à Ioanne exultabundo cognitus; in præſepio reclinatus, ſed & ab Angelis glorificatus, à ſtella demonſtratus, à Magis adoratus; baptizatus vt homo, ſed peccata dimiſit vt Deus; aquis minimè vt mundaretur, indigus, ſed vt eas mundaret; tentatus vt homo, ſed victor vt Deus; eſurijt, ſed & multa millia pauculorum panum multiplicatione pauit; ſitiuit, ſed & is fontem & venam aquarum viuentium omnibus in ſpem vitæ æternæ creaturis aperuit; fatigatus eſt, ſed & ipſe omnium æterna fatigatorum requies; ſomno grauatus, ſed & euigilans mari imperauit & ventis; telonium ſoluit, ſed ex piſce; orauit, ſed & orationes exaudiuit; fleuit, ſed & omnem abſterſit lachrymam; in ligno ſuſpenſus occiditur, ſed ligno vitam inſtaurat, tradit ſpiritum, ſed & poteſtatem habet reſumendi illum; moritur, ſed viuificat, & morte mortem reſoluit; ad inferos deſcendit, ſed animas educit.

Nomina Dei omina reſpiciunt nomen IESV;

Rectè igitur ex dictis patet, Nomen eius eſſe mirificum, & mirandorum operum veluti quandam anacephalæoſin. Patet quoque innumera illa arcana tetragrammati nominis יהוה, quibus inueſtigandis tanto ſtudio, tamque intenſo labore, vniuerſa Cabaliſtarum ſchola nullo non tempore occupata fuit, aliò non reſpexiſſe, quàm ad hoc ſalutiferum nomen יהשוה *Ihſuh*; tametſi talpis cœciores, aut quæ expoſuerunt non intellexerint, aut ſi intellexerunt, ob perfidiam & mentis peruicaciam, odiumq; in Chriſtum irreuocabile, de eo fateri non voluerint; cùm tamen ipſe Tarphon inter cœtera non tam præmeditatâ oratione, quàm diuino quodam inſtinctu agitatus hæc effutiat:

Tarphon de nomine IESV quid ſentiat.

זמן חטבע משתמש בשם שדי התורה בשם יהוה וזמן המשיח צדקנו בשם יהשוה :

Id eſt, *Tria ſunt tempora, quibus vſitata fuerunt, tria diuerſa Dei nomina; Tempus naturæ, vtebatur nomine Schadai* שדי; *tempus legis ſcriptæ, nomine Dei* יהוה *Iehoua*; & *tempus Meſſiæ iuſti noſtri, nomine* יהשוה *Ihſuh*; & hæc nomina omnia ſunt in nomine Dei tetragrammato. Quibus verbis quid clariùs ad noſtra ſtabilienda dogmata, adduci poſſit, non video. Sed hæc de no-

Faltblatt Nr. 3

de nomine Dei tetragrammato fusiùs forsan, quàm par erat, sufficiant. Porrò nil modò restat, nisi vt, omnium hucusque de diuinis nominibus dictorum schema ob oculos ponamus curiosi Lectoris; quod vt commodiùs fiat, aliqua præsupponere visum est.

Nomen Dei apud omnes nationes tetragrammaton.

Obseruatum fuit hucusque, ad normam tetragrammati Dei nominis, nomen Dei omnium totius Mundi populorum pariter, non tam humano arbitrio, quàm diuino quodam instinctu, quatuor literarum sortem nactum esse; quorum singula aliquod è diuinis attributis significant. Quemadmodum igitur ex nomine tetragrammato nascitur, iuxta Cabalistas, duodecim, & viginti duarum literarum nomen; ita, iuxta eosdem, ex his quadraginta duarum; & ex hoc denique septuaginta duarum Mundi semitarum; vt hoc ipso indicari videatur, omnia quæ in Mundo sunt, huius nominis vi & efficaciâ subsistentiam acquirere; adeòque omnes populos & nationes Mundi ad tantis diuinæ bonitatis beneficijs, quouis modo, sub vero vnius religionis per Vniuersum diffusæ cultu correspondendum obligari. Cuius perfectionis symbolum est schema quod sequitur.

Explicatio Nominis Dei Tetragrammati.

IESVS Christus centrum vniuersæ naturæ, in cuius nomine omnia reliqua diuina nomina concentrantur, Deus & homo, tetragrammaton olim arcanum & absconditum nomen, modò ipso Doctore reuelatum & explicatum postero Mundo demonstrauit. Figura hîc indicat diuini nominis יהשוה, cuius nomen tetragrammaton יהוה olim typus erat, in omnia diffusionem. Quemadmodum enim Sol diffusis in Vniuersum Mundum radijs omnia illuminat, fœcundat, animat; ita nominis IESV, qui est Sol iustitiæ, vis & efficacia in omnia se diffundendo, omnia viuificat & conseruat. Vides in centro nomen Christi יהשוה πανγράμματον, cuius medio ש insertum, vt nomen Dei יהוה distinguit, ita diuina humanaque ex æquo connectit. quod explicant textus, ipsum nominis IESV πανγράμμα constituentes, & sunt hi: זה שמי לעולם, *hoc nomen meum in æternum.* יהוה שמך לעולם יהוה, *Domine, nomen tuũ in æternum Deus.* יהוה צבאות זה שמי *Deus virtutum hoc nomen meum.* אני יהוה הוא שמי, *Ego Deus, hoc nomen meum.* Nomen Sacræ Triadis index; inde 4 in 3 ducta dant 12, singularia Dei attributa, quæ implicitè nomen יהשוה continent, vti in duodecim radijs videre est: sunt enim hæc attributa, quæ Sacræ Triadi in communi competunt; atque hinc Nomen Dei duodecim literarum, quas inter radios inseruimus, emergit, videlicet: אב: בן: ורוח הקדש, id est, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Atque hic est Mundus ille archetypus supramundanus, & indicatur per duodecim nominis tetragrammati יהוה reuolutiones, quas Hauioth appellant Cabalici, quæ vnam essentiam & naturam in Deo signant, trinis hypostasibus distinctam, quæ & per tres litteras יהו aptè indicantur. Ex quâ deinde influxus fit in Mundum Angelicum, & hinc in omnia sensibilis Mundi membra duodenario signata, vt

ſunt duodecim ſigna Zodiaci, quatuor anni tempora, triplicatus quaternarius elementorum; quod & ipſi Hebræi indicant tribus nominibus Dei tetragrammati אדני : יהוה : אהיה : *Ehieh, Iehoua, Adonai*, quæ & quatuor Mundi plagis applicant hoc pacto.

מערב	מזרח	צפון	דרום
Occidens	*Oriens*	*Septentrio*	*Meridies*
ה	י	ה	א
ה	ו	ה	י
י	נ	ד	א

Quod myſterium cùm in præcedentibus explicauerimus, non attinet repetere. Præterea, hoc duodecim literarum nomine influit in duodenarium animaſticum, phyſicum, anagogicum, id eſt, duodecim Apoſtolorum ſuper thronos duodecim iudicantium duodecim tribus Iſraël.

Hinc vlteriùs in vniuerſa entium quadraginta duo genera influit, reſultatque nomen quadraginta duarum literarum, vnum reuera nomen, quadraginta tamen duabus literis diſtinctum, hoc eſt, effectibus in rebus creatis fundatis. Nomen hoc poſitum contemplare in primo circulo, in ſecundo aliud nomen myſticum ſuprà explicatum, vt ſequitur:

אב אלוה: בן אלוה: ורוח הקדש אלוה: שלשה באחד
והאחד בשלשה:

Nomen 72 literarum explicatum.

Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus, tres in vno, & vnus in tribus.

Nomen 72 literarum arcanum.

אבג יתץ קרע שטן נגד יכש במר צתג הקב טנע יגל
פוק שקו צית:

Atque hæc ſunt duo nomina diuina quadraginta duarum literarum; prius explicatum, alterum arcanum, omnia nomina in tertio circulo ordine poſita, & totidem entium gradibus correſpondentia indicant. Quæ quidem nomina etſi diuerſa ex effectibus diuinis introducta, vnum tamen ſunt, reſpectu eſſentiæ diuinæ, & nominis Dei יהוה, in quod omnia, Diuo Dionyſio teſte, collimant. Quia tamen Mundus propter hominem creatus eſt, & totum humanum genus in ſeptuaginta duas familias, ſacra Scriptura teſte, diuiſum eſt; hinc emerſit nomen ſeptuaginta duarum literarum ſeu totidem nominum, quibus vniuerſus naturæ ordo aptè vnà cum ſeptuaginta duobus nominibus Angelorum, totius naturæ Præſidum exprimitur. Cùmque omnia nomina hæc ex nomine quadrilitero יהוה emerſerint, vt ſuprà expoſitum fuit; hinc incomprehenſibili Dei conſilio factum eſt, vt ſeptuaginta duæ Nationes, terreni Orbis habitatrices, nomen Dei quatuor literis exprimant. & Nationes quidem ſeptuaginta duæ ponuntur in quarto circulo; Nomina Dei quadrilitera in quinto circulo. Cùm denique nomen in medio Angelorum, vt Exodi 14 habetur, exiſtat; hinc ſeptuaginta duo nomina Angelorum, qui humano generi in ſeptuaginta duas nationes diuiſo, ſinguli ſingûlis præſident, in extremo

Faltblatt Nr. 4

mo limbo radioso apposuimus. Atque adeò diuini nominis יהשוה *Iehsuh* in vniuersam naturam influxus rectè exhibentur. Verùm hæc de nominibus Dei sufficiant.

CAPVT VIII.

De secretiori Hebræorum Theologia Mystica, quæ est Cabala de decem Sephiroth, siue de decem diuinis Nominibus, quæ & numerationes, dimensiones, seu attributa Dei vocantur; omnia ex mente Cabalistarum; in qua reiectis heterodoxis, confutatisque, sola Catholicæ Doctrinæ consona adducemus.

Sephiroth Cabalistarum arcanum maximum varijs rebus comparatur.

CIrca decem numerationes, quas עשר ספירות appellant, tota meritò Cabalistarum versatur machina; vnde diuersimodam de ijs tractationem instituunt. Nonnulli per similitudinem arboris eas exponunt, radice, trunco, ramis, corticibus, fructibus, spectabilis. Alij sub similitudine hominis microcosmi, capite, humeris, cruribus, pedibus illustris. Sunt qui ad archetypas rationes omnia sub ijs recondita mysteria detorqueant. Non desunt, qui totum ad physicas considerationes applicent. De omnibus & singulis hoc loco differere minimè importunum duximus.

Sephiroth seu numerationes decem sunt decem Dei nomina.

Vnanimi itaque omnium Rabbinorum sententia decem Sephiroth seu Numerationes constituuntur. Quarũ tres superiores ספירות עליונות, id est, altissimas, spirituales, seu intellectuales numerationes, siue מעשה מרכבה, id est, opus quadrigæ; septem verò inferiores מעשה בראשית, opus fabricæ vocant: suntque decem Dei nomina, quorum illa, tres emanationes; hæc septem attributa appellant. Numerationes vocant, non quòd inter nos & Deum quæpiã figuræ aut substantię existat similitudo, vt rectè S. Dionysius, sed membrorum solummodò quædam veluti intentio. Hinc eandem ob causam Deo cor, oculi, aures, manus, pedesque affinguntur in sacris literis, non quòd ad nostri membra corporis Deus vllam proportionem & habitudinem præseferat; sed quòd sit in ipso altissimo & incomprehensibili ente aliquid intrinsecum, ineffabile, & prorsus inexplicabile, vti suprà quoque ostendimus, à quo vniuersa profluunt, & quod denotat altissimarum latentium, & maximè absconditarum rerum, mentique humanæ incomprehensibilium rationes, quarum membra humani corporis Deo impropriè attributa non nisi quædam signa sint & typi. Numerationum itaque intentio nullum terminum, mensuram, numerum, nullam molem, nec quantitatem continuam, aut discretam, aut qualitatem, sed tenuem quandam vmbratilemque diuinarum virtutum, in quantum eas homo corporeis phantasmatis irretitus concipere potest, similitudinẽ exhibent. Sunt autem decem, quorum alia relatiua & personalia, alia connotatiua & attributa propriè vocantur nomina, alia cognomina, quorum typus sequitur.

Numerationes cur vocentur.

S. Dionysius l. de diuin. nom.

Typus decem Sephiroth.

	Numerus	Nomina		Cognomina		Interpretatio
Nomina Relatiua & personalia	1	אהיה	*Ehieh*	כתר	*Kether*	*Corona*
	2	יה	*Iah*	חכמה	*Chochma*	*Sapientia*
	3	יהוה אלהים	*Ieboua Elohim*	בינה	*Binah*	*Intelligentia*
Attributa	4	אלוה	*Eloah*	גדולה	*Gedulah*	*Magnificentia*
	5	אלהים	*Elohim*	גבורה	*Geburah*	*Fortitudo, seueritas*
	6	יהוה	*Iehouah*	תפארת	*Tiphereth*	*Pulchritudo*
	7	יהוה צבאות	*Iehouah Tsebaoth*	נצח	*Netsah*	*Victoria, æternitas triumphans*
	8	אלהים צבאות	*Elohim Tsebaoth*	הוד	*Hod*	*Gloria, Honor,*
	9	אל חי	*Elchai*	יסוד	*Iesod*	*Fundamentum*
	10	אדני	*Adonai*	מלכות	*Malchuth*	*Regnum*

Atque hæc sunt nomina & cognomina, quibus omnia, quæ in Sacra scriptura abstrusa latent, enodare se putant Rabbini; quæ & orthodoxi Authores approbant.

§ I.

אין סוף *Infinitum, reconditum, interminum Ens.*

Enssuph quomodo appelletur, & quid sit.

SVpremæ arboris Sephiroticæ nomen ponitur אין סוף, id est, *infinitum.* Dicitur etiam non ens, propter Dei altissimi incomprehensibilitatem. Est enim res quædam secundùm se incomprehensibilis, & ineffabilis, in remotissimo Deitatis recessu, & in fontem luminis inaccessibili abysso sese retrahens & contegens, cuius splendidissimus splendor nudus manens nullo attributorum amictu, aut proprietatum vestitu perfunditur, aut dilatatur. Indifferenter Ens & non Ens vocatur, vtpote quæ omnia opinione nostrâ contraria & contradictoria, tanquam segregata & libera, vnita simplicissimè implicet. Ens quidem dicitur, quia ab eo tanquam summo ente omnia entia existunt; non ens autem, quia præterquàm quòd humano conceptui incomprehensum sit, inter omnia quoque entia nihil ei aut simile, aut æquale reperitur. Quam ob causam, vt suprà diximus, S. Dionysius id quoque *Nihil* dicere non dubitauit. Alij caliginem & tenebras appellant: *Sicut lux eius, sic & tenebræ eius*; quo quidem dicendi modo aliud non indicant, nisi Deum abstractè consideratum in seipso, eo ferè modo, quo ante Mundum conditum sibi imaginatur humanæ mentis debilitas. Hinc appositè Botrellus in libro de fide & expiatione.

Deus Ens & non ens dicitur.

Botrellus.

כי המוציא יש מאין אינו חסר וכי היש הוא באין בענין אין והאין הוא ביש בענין יש ללמד שהאין הוא היש והיש הוא האין:

Quòd

Quòd producenti Ens de non ente nihil decedit, & quòd Ens est in non ente quoad rem non entis, & non Ens est in ente quoad rem entis, vt discas quòd non ens fit Ens, & Ens fit non ens.

Est itaque אין סוף infinitum, illud, à quo omnis influxus deriuatur in cætera attributa Dei, & per hoc in creaturas; vnde ab Hebræis dicta sunt vestimenta Dei, quibus indutus ad Mundi creationem processit. Omnis enim bonitas & entitas in creaturis est ab ipso Creatore, & fuit in eo suprà quàm mens humana excogitare potest, modo nobiliori & perfectiori. Hinc omnes perfectiones in creaturis dispersæ, in Deo vnum quid sunt, diuersis tamen rationibus formalibus, vt scholæ loquuntur, secundùm nostrum concipiendi modum differentes, dum aliam bonitatis, aliam sapientiæ, aliam veritatis definitionem assignamus. Quæ quidem ratio nihil aliud est, quàm conceptus, quem intellectus de alicuius diuini nominis significato format. Res enim, quam intellectus concepit sub nomine sapientiæ, dicitur ratio, siue formalitas & quidditas sapientiæ; qua quidem ab omnibus alijs diuinis perfectionibus distinguitur, adeoque in Deo tametsi essentia simplicissima, tamen rationum formalium existit multitudo; cùm enim intellectus nostri debilitas vno solo conceptu minimè perfectionem diuinam possit attingere, varijs diuersisque conceptibus, qui varijs diuersisque nominibus vestiuntur, ad eum concipiendum indiget. Quòd si Dei dono nobis vnico conceptu diuinam perfectionem attingere concederetur, tunc vno quoque nomine illam exprimere possemus. Hinc secretiores Hebræorum Theologi decem diuina nomina ponunt, iuxta decem præcipuas, quæ in Deo elucent, perfectiones; quibus secundùm occultam quandam analogiam totidem Angelicæ substantiæ ordines attribuunt, & in Mundo sensibili totidem mobilium corporum systemata; in microcosmo totidem membrorum principalium constitutiones, vt suprà dictum est. Deus itaque per decem nomina primò influit in Mundum Angelicum, per eadem deinde in Mundum sidereum & elementarem, & per eadem denique in microcosmum. Declaro rem exemplo. Herba quæpiam, aut petra virtutem suam habet subministratam à cœlo, cœlum ab Intelligentia, Intelligentia ab Opifice, ex quo omnia veluti ex centro vti profluunt, ita in illud reuertuntur; vnde omnia elementa & mista cum cœlis, eorumque Intelligentijs abdito quodam consensu communicant, & tandem cum Archetypo mundo, idea idearum, vnita connectuntur. Verùm vt hæc trium Mundorum connexio, iuxta Hebræorum & Ægyptiorum mentē, luculentiùs comprehendatur, singula exactiùs declarabimus.

Cur decem nomina Hebræi attribuant Deo.

Deus per decem nomina influit in omnia.

§ II.

§ II.

כתר *Kether, id est, Corona summa, prima Sephira seu numeratio.*

Aduerte me hìc Angelorum nomina, aliaque omnia, ex Rabbinorum mente enumerare.

1 כתר Kether, Corona, Pater.

PRimùm itaque vestimentum Dei ex אין סוף *Ensuph*, id est, infinita essentiæ suæ caligine emergentis, est כתר *Kether*, id est, *Corona summa*, cuius nomen אהיה, *fui, sum, ero*, delubrum admirabile & absconditum dicitur; quia in huius contemplatione omnium mentium oculi caligant, linguæ obmutescunt, vox silet, omnis animus deficit, ob inscrutabilem eius altitudinem; ab hac omnes Numerationes, illa à nulla procedit; prima in diuinis emanatio, Ens Entium, quia hoc essentiam omnibus præbet, & totum Vniuersum à centro ad circumferentiam infinitæ maiestatis suæ splendore implet; canalis supramundanus, per quem primò influit, diffunditque bonitatem suam supra Seraphinos, & hinc supra primum mobile, ope Intelligentiæ quæ dicitur *Metatron Sarpanim*, *Princeps aspectuum.*

2 חכמה Chochma, Sapientia, Filius.

Secundum vestimentum seu Sephira dicitur חכמה *Chochma, Sapientia*, cuius nomen est יה *Iah*; attribuitur secundæ in diuinis emanationi, scilicet Filio, sicuti præcedens Patri, & sequens Spiritui sancto; ab Orpheo dicitur Cœlum, ab Homero Pallas nata ex cerebro Iouis. Canalis dicitur, cuius ope Deus influit supra Cherubinos, & supra firmamentum, hoc est, stellarum fixarum globum, ope Intelligentiæ quam רציאל *Ratsiel* vocant, mundique idealis inenarrabiles splendores exhibet; de quibus in sequentibus fusiùs.

3 בינה Binah, Intelligentia, Spiritus.

Tertium vestimentum Dei seu Sephira dicitur בינה *Binah*, *Intelligentia*, cuius nomen יהוה אלהים, *Adonai Elohim*, vinculum Chori intellectualium numerationum, tertia in diuinis emanatio, Spiritus, anima, votum, mysterium fidei, Rex sedens in throno miserationum, Iubilæum magnum, Sabathum magnum, fundamentum spirituum, lumen mirificum, quinquaginta portæ, fluuius de paradiso egrediens; per quam Sephiram Deus influit primò in Chorum Thronorum, & hinc in Sphœram Saturni, ope Intelligentiæ quæ vocatur Sabtaiel.

Cognomina Spiritus.

Atque hæ sunt tres numerationes summæ & supremæ, quas R. Isaac commentario in Ietsirah vocat: ספירות עליונות כסא אחד ובו יושב ק'ק'ק' *Numerationes altissimas, sedem, siue thronum vnum, in quo sedet Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Et tres hæ numerationes sunt primordiales & coæternæ, infinitæ, & inaccessibiles, abyssi Deitatis oracula. Sapientia sacrosanctæ Coronæ summæ templum inhabitat, à quo etiam ab æterno ineffabili quâdam generatione procedit, vel vt Hebræi, emanat emanatione, & nunquam à Corona summa, & ab Intelligentia, vlla detruncatione aut diuisione separatur; sunt enim vnum in essentia. Atque hæc est deuotissima illa apud Cabalicos diuinitatis quadriga, mysterium currus supremi סוד המרכבה עלונה, trium in diuinitate existendi modo-

modorum, seu trium superiorum numerationum index. Corona ex summæ misericordiæ & infinitatis suæ delubro ab æterno producit Sapientiam, Sapientia in penetralibus summè gratuitæ misericordiæ immanens, emanare facit Intelligentiam, ita tamen, vt Sapientia & Intelligentia à Corona summa emanantes, incomprehensibili & ineffabili quodam modo in inaccessibili Deitatis gremio tanquam in quadriga seu curru, felicissimo suo fruantur otio. Atque hanc trium numerationum superiorum, seu subsistendi modorum trinitatem, hanc eorum essentiæ simplicissimam & summè perfectam vnitatem, à qua omnia alia entia vera & bona sunt, Currus seu quadrigæ Cabalistæ nuncupârunt mysterium. Et tametsi iuniores Rabbini talpis cœciores per hasce numerationes non nisi proprietates quasdam intelligant, veteres tamen omnes tres in Deo existendi modos realiter distinctos posuisse testantur eorum scripta. R. Isachor Beer filius Mosis Pesach lib. Imre binah: *Qui vnus est*, inquit, *in intelligente, intellectu, & intellecto, glorificatus sanctitate, luces emanare fecit, easq; in tres emanationum ordines disposuit, numerationesq; intellectuales in æternum trinitatem Regis testantur. Summa mysterij eorum est emanatio Mundi Archetypi, creatio Mundi intellectualis vel Angelici, firmatio Mundi siderei, & fabrica Mundi minoris seu elementaris.* Consentit huic R. Akiba in Ietsirah c. 1. sect. 9

Mysterium quadrigæ quod?

Rabbinorum Veteres per tres numerationes intellexerunt tres subsistendi modos in diuinis.

R. Isachor Beer.

R. Akiba.

אחד רוח אלהים חיים קול ורוח ודבור והוא רוח הקדש:

Vnus est spiritus Deorum viuentium, Vox, & Spiritus, & Verbum, & hic est Spiritus sanctitatis. Moses Botrellus fol. 50. *Duo spiritus ex Spiritu*, רוח היוצא מרוח אלהים חיים, id est, *Spiritus procedens de Spiritu Deorum viuentium, & in eo creatum est superius & inferius, quatuor Mundi plagæ*, &c. Rabbenu Saodias Ha Gaon: *Vnus est Spiritus Deorum viuentium, Vox, Spiritus, & Verbum, quæ vnum sunt.* Rambam; *Corona summa primordialis est Spiritus Deorum viuentium, & Sapientia eius est Spiritus de Spiritu, & intelligentiæ aquæ ex Spiritu. Et tametsi res horum mysteriorum distinguantur in Sapientia, Intelligentia, & Scientia, nulla tamen inter eas distinctio quoad essentiam est, quia finis eius annexus est principio eius, & principium fini eius, & medium comprehenditur ab eis, v. g. flamma & carbo resplendens, iuxta illud, Carbones eius carbones ignis flammæ Dei, quasi diceret, quod hæc omnia instar flammæ ignis comprehendentis in se multiuarios colores ceu species, illosque omnes in vna radice, quia Dominus summè vnus.* Moses Botrellus loco citato:

Moses Botrellus.

R. Saodias. Rambam.

Moses Botrellus.

החכמה היא הספרה השנית כי למעלה ממנה יש כע שהיא המחשבה והיא נקראת ספירה ראשונה ועל כרחנו מן המחשבה תצא החכמה:

Id est, *Sapientia est numeratio secunda, quia superior illa est Corona summa, quæ est mens, & illa vocatur numeratio prima; an itaque non vel inuitis nobis de mente procedit Sapientia?* Quis ex citatis testimonijs non videt, Rabbinos etiam nolentes volentes Sacratissimæ Trinitatis mysterium per tres hasce supremas numerationes indigitasse? quæ cùm ita sint, iam ad reliquas numerationes declarandas procedamus.

Quæ sequuntur, plena sunt nugis & figmentis Rabbinorum.

Post

Post tres supremas numerationes sequitur quarta numeratio, quæ dicitur גדולה *Gedulah*, siue *magnitudo*, quam alij quoque חסד, id est, *clementiam* vocant, cuius nomen est אלוה *Eloah*, cognomina, gratia, misericordia, brachium dextrum, ignis candidus, facies leonis, oriens, aquæ superiores, argentum Dei, triginta quinque fortibus stipata. per hanc Deus influit in Chorum Dominationum, & per Intelligentiam Tsadkiel in cœlum Iouis; vnde nascitur amor, qui omnia viuificat, accendit, amicitiam singulis in perpetuum pacis fœdus conciliat.

4 גדולה Gedulah, Magnitudo.

Quinta Numeratio seu vestimentum Dei dicitur גבורה *Geburah*, id est, *fortitudo*, quam & alij פחד *Pachad*, id est, *timorem & seueritatem* appellant; Nomen eius יהוה אלהים *Adonai Elohim*. Ei applicatur proprietas rigoris & grauitatis, præcepta legis negatiua, brachium sinistrum, ignis egrediens ab aquis, occidens, nox, fortitudo, altare aureum, Aquilo, triginta quinque sinistris potentijs stipata. Per hanc Deus influit in ordinem Potestatum, & per Intelligentiam eius Camaël in Cœlum Martis, vnde prodierunt elementa, quæ perpetuò bellorum dissidijs sibi inuicem contrariantur.

5 גבורה Geburah, Fortitudo.

Sexta Sephirah seu vestimentum Dei תפארת *Tiphereth* dicitur, cuius nomen יהוה *Iehoua*; Attributa eius sunt speculatio illuminans, lignum vitæ, voluptas, linea media, linea viridis ambiens vniuersum, lex scripta, Sacerdos magnus, ortus solis, species purpurea, septuaginta duæ nationes in terra, sigillum eius אמת אדני; mysteriumque eius in tertia litera tetragrammati, homo supremus siue Adam Cœlestis, arbor in medio Paradisi plantata. Per hanc Deus influit in ordinem virtutum, & hinc per Intelligentiam Raphaël in Sphœram solis. Causa est omnis harmoniæ & pulchritudinis, quam in vniuerso intuemur.

6 תפארת Tipheroth, Pulchritudo.

Septimum vestimentum Dei seu Sephirah dicitur נצח *Netsah*, id est, *triumphus*, *victoria*, seu *æternitas*, cui nomen יהוה צבאות *Adonai Tsebaoth*. Eius attributa sunt, Crus, pes, columna dextera, rota magna, visio Prophetæ. Canalis est, per quem Deus influit in Principatus, & per Intelligentiam Haniel in Cœlum Veneris. Plantarum causa & origo est.

7 נצח Netsah, Victoria, Æternitas.

Octauum vestimentum Dei seu Sephirah est הוד *Hod*, id est, *laus, honor, gloria*. Nomen eius est אלהים צבאות *Elohim Tsebaoth*; attributa eius, mysterium columnæ, ac pedis sinistri, hinc trahitur serpens antiquus, disciplina Domini, Ramus Cherub Aharon, filij regis, molæ molentes. Estque Canalis, per quem Deus influit in Archangelos, & per Intelligentiam Michaëlem in Cœlum Mercurij; Causa & origo animalium est.

8 הוד Hod, Laus, Honor, Decus.

Nonum vestimentum Dei siue Sephirah est יסוד *Iesod*, id est, *fundamentum*; nomen eius est אלהי *Elchai*; attributa Deus viuus, fundamentum Mundi, Sion, fons piscinæ magnæ, iustus, Sabbathum magnum, medium inter שמור & זכור, inter custodi & memento; Aries, iustitia, robur, lignum scientiæ boni & mali, fœdus Domini, arcus testimonij, gloria Domini, fundamentum Prophetæ Dauid, redemptio, seculum animarum. Canalis est, per quem Deus influit in Angelos, & per Intelligentiam Gabrielem in cœlum Lunæ; causa & origo Geniorum particularium vnicuique assignandorum.

9 יסוד Iesod, Fundamentum.

De-

Decimum vestimentum seu Sephirah vltima est מלכות *Malcuth* siue *Regnum*, cuius nomen אדני *Adonai*; Attributa eius sunt, Regnum, vita, Cherub secundus, speculatio non illuminans, posteriora Dei, finis omnium, Ecclesia Israël, Sponsa in Cantico Canticorum, Regina Cœli; mysterium legis ab ore datæ, Aquila, litera quarta tetragrammati, Regnum domus Dauid, Templum Regis, Ianua Dei, arca fœderis, binæ Tabulæ, Dominus vniuersæ terræ. Canalis per quem Deus influit in ordinem אישים, id est, *Animarum*, & per Intelligentiam Mitatron in omnem Lunæ subiectum elementarem Mundum; per hanc descendit in animos hominum prophetiæ donum*, per hanc humanus animus singulis ordine recensitis Sephiroth mirâ quâdam ratione coniungitur, cum prima Sephiroth per intellectum, cum secunda per rationem, cum tertia per discursum; cum quarta per facultatem concupiscibilem superiorem, cum quinta per irascibilem superiorem, cum sexta per liberum arbitrium, cum septima per appetitum volitionemque ad superiora, cum octaua per appetitum ad inferiora per actionem, cum nona per contemplationem, siue per animi ascensum descensumque, cum decima per vehiculum, quo constat, æthereum. Hinc à Cabalistis quoque vocatur עטרת, *Diadema*, seu *Corona* inferior; est enim consumatio vnionis in Mundo archetypo, mysteriumque regni eius, atque in omnes creaturas regnandi facultatem obtinet. Vnde & regnum dicitur, quia per eam Rex tetragrammatos sua quæuis munia obit; creatis rebus præmia largitur, per quam illis datur ad tetragrammaton aditus, vnde & *Adonai* dicitur; totius enim orbis Præses & Rector esse creditur; eò quòd tetragrammaton cuiuslibet influxus abundantiam nominis אדני confert, & in illo tanquam in vnum opulentissima Regis bona confluunt, indeque porrò transmittuntur, vt implear quicquid creatorum necessitas exigit; thesaurus enim diuitiarumque existit gazophylacium, cui à Deo tetragrammato omnes benedictionum torrentes, bonitatisque diuinæ immensi defluxus applicantur. Vocatur quoque צדק, id est, *iustitia*, quam & inferiorem iudicij domum (quæ est, quinta Sephiroth, & Geburah seu Pachad, id est, fortitudo, seueritas, rigor, timor appellatur) seueritatis & iustitiæ diuinæ influxuum inundationumque executricem; iudiciorumq; huius sæculi, vti & certaminum altissimi fidelē administratricem vocant. Vnde Hebræi 60 fortes, validosque gladios accinctos, bellorum ministros illam circumdare asserunt, qui ad nutum hostes Dei altissimi profligent & interimant; & ob peccata hominum prouincias integras deprædentur, ac deuastent, regna subuertant, inexpugnabiles muros solo æquent, ac omnigenæ vindictæ supplicia exigant. Hàc corripiuntur peccatores, remittuntur peccata, iniquitates auferuntur, & pristinæ iustitiæ restituuntur. Est enim, vti Rabbini asserunt, vestibulum quo tetragrammaton iustos ab impijs secernit, neque vllum impijs introeundi aditum præstat, nisi priùs vindictam de peccatis eorum per suppliciorum illationem sumpserit.

10 מלכות Malcuth, Regnum.

* Ex doctrina Rabbinorum

Patet itaque ex dictis, Sephiram Malcuth talem appellationem sortiri, quale est, quod intrinsecùs ex intimis gratuitæ misericordiæ vi-

sce-

ſceribus, vel extrinſecùs ex hominum peccatis puniendis, ſiue in bonum, ſiue in malum, in eam deducitur; ideo lignum quoque ſcientiæ boni & mali cognominatur; ſi enim iuxta Hebræorum mentem à gratiæ, id eſt, Heſed ſeu Gedulæ latere influxus deducitur, ei bonum inditur cognomen; ſi verò à Guburæ ſiue iudicij latere, quod de internis numerationum penetralibus trahitur, & hoc quoque bonum dicitur; ſin ab externis iudicium manauerit, peſſimum id malum, plenumque prauæ diſpoſitionis argumentum. Dicunt enim, omnia ſuperiora iuxta malitiam & bonitatem hominum in eam trahi, interdum iudicij meatus Sanctos Dei homines minuere, gratiæque atque miſericordiæ defluxus augere; ſæpius verò contrà, gratiæ & miſericordiæ canales impios obruere, iudicijque plures aperire: Vnde propter malitiam hominum acerrima & ſæuiſſima quæque in hanc numerationem prodeunt; ſæculum varijs ærumnis opprimitur, adeoque ingentes malorum Iliades in Mundum introducuntur, euertuntur regna, corruunt ſceptra, proſternuntur imperia, obruuntur prouinciæ, profligantur exercitus, truculentiſſimæ captiuitates, & cædes emergunt, febres, maligna vlcera, peſtis, mærór, luctus, lamenta, deſolatio, morborum contagiones, & incognitæ infirmitatum ſpecies, inopinatæ neces, more violenta, frequentia funera, cuncta denique miſeranda & exitialia proueniunt. Nomen enim אדני *Adonai*, ſpecie ignis deuorantis veſtitum, in ſublimi ſolio Altiſſimi ſedens, vt Princeps, & totius orbis terrarum Dominus, regijs inſignibus ornatus, totius quadrigæ & ſuperiorum & inferiorum, accedente quadraginta duarum literarũ nomine, ſolidiſſimus præſes effulget; hunc enim, vt aiunt, rapit de ſuperis, illum ad inferos & in æterni exitij barathrum præcipitat, hunc languentem, illum ſanum & validum reddit, prout æquitas iudicij ſuperiorum numerationum poſtulare videbitur; ibi enim nihil iniquè flectitur, nihil obliuioni datur, nulla ibi perſonarum acceptio, ſed vt à ſuperioribus haurit, ita in inferiora diſpenſat. Et ſicuti diuerſis nnmerationum cognominibus nuncupatur, ita earundem omnium commune quoddam cellarium ſiue receptaculum eſt. In hoc à tredecim fontibus coronæ ſummæ 613 columnæ lucis inacceſſibilis erumpunt, & quaſi prodeuntia flumina illabuntur: in hoc triginta duæ ſemitæ ſapientiæ, & quinquaginta portæ intelligentiæ deducuntur; in hoc per ſeptuaginta duos fontes, à ſumma miſericordiæ aqua proficiſcentes, vti & quadraginta duæ flammei ignis ſpecies ſeueritatis, ex ſummis mentibus, & per mediam lineam incedentes, ſeptuaginta proſiliunt & ſcaturiunt benedictionum luces, perq; viam æternitatis & gloriæ in Sephira Elchai, veluti fundamento iunguntur, & inde in ipſum regnum ſiue coronam inferiorem אדני *Adonai* dictam confluunt. Nemo tamen exiſtimet, prædicta continuè & pariter vniuerſa afficere; nam, vt diximus, multitudo piorum benedictionis auget influentiam, impiorum eam diminuit: cùm verò nomen tetragrammaton adeo vigebit latè, vt totus Mundus vnum colat Deum, quòd Meſſiæ tempore futurum credunt; tum demum omnes numerationes ſimul in coronam infimam אדני dictam confluent, quæ eandem bonorum copiam,

613 Columnæ lucis, quæ?

piam, quàm à ſuperioribus numerationibus accepit, ſecundùm cuiuſque naturæ limites, ſingulis creaturis rurſum communicabit. Sed hæc de decem diuinis nominibus in genere dicta ſufficiant; nunc ad particularia eius deſcribenda progrediamur, vbi, vti & in præcedentibus, omnia ex Rabbinorum mente aſſeremus.

CAPVT IX.

De varia decem diuinorum Nominum ſeu Sephiroth repræſentatione, eorumque influxibus & canalibus, ex mente Rabbinorum.

SIcuti arbor vna ex radice, trunco, ramis, ſurculis, frondibus ſiue diuerſa partium diſpoſitione conſtat; ſic Cabaliſtæ dicunt, decem Sephiroth eſſe arboris inſtar, cuius ſupremæ tres emanationes ſe habent per modum radicis, reliquæ per modum trunci, ramorum, fructuum. ita R. Schabte in Ietſirah. Sephiroth decem ſunt in ſtar arboris.

המשל בזה האילן שיש לו שורש ומשורש יצא גזע ומגזע יצאו ענפים שהם ג׳ מדריגות שרש גזע ענפים והכל אילן אחד אך ורק החבדל ביניהם הנעלם והגלוי כי השורש הוא נעלם מגלה השפעתו בגזע ומהאחד בגזע והגזע מגלה השפעתו בענפים המסתעפים ממנו וכלן בכלל מתאחדין ומתאחדין בשורש כי לו לא השפעת השורש הגזע והענפים כלם יתיבשו לד שבעבו׳ זה כלם בכלל יקרא אילן אחד: R. Schabte.

Hoc eſt, *Arbori ſunt radices, & de radice conſurgit germen, & de germine prodeunt rami, & ſunt tres gradus, radix, germen, rami; & totum hoc eſt arbor vna; tantùm hæc eſt differentia inter illas, abſconditum & manifeſtum; quia radix, quæ eſt abſcondita, patefacit influentiam ſuam in germine, & vnit ſe germini; Germen verò manifeſtat influentiam ſuam in ramis, & vnit ſe ipſis ramis, qui pullulant ex ipſo, & in ſumma omnes adhærent, & vniunt ſe ipſi radici, quòd niſi influentia radicis eſſet germen, rami omnes exſiccarentur, ita vt eam ob cauſam hæc arbor vocetur vna.* Et poſteà hæc applicat Numerationibus; verba cùm ſint longiora plùs æquo, ea ſic latinè reddo. *Corona ſumma, quæ eſt myſterium centri, ipſa eſt radix abſcondita, & tres Mentes, hoc eſt, tres numerationes ſuperiores ſunt germen, quæ vniunt ſeſe in centro, quæ eſt radix earum; ſeptem verò numerationes, quæ ſunt rami, vniunt ſe germini, quod refert mentes, & omnes ſe vniunt in centro, quod eſt radix in myſterio nominis radicalis & eſſentialis, quæ radix influit in omnes, & vnit omnes influentiâ ſuâ, & omnia dependent ab influentia eius, adeo vt ob hoc omnia ſimul, centrum nempè, & mentes, & ſeptem numerationes vocentur vnitas vna. Et hæc eſt ratio, quòd comparauerunt ſapientes Cabalæ decem numerationes arbori, quoniam eſt illis ſimilitudo quædam arboris, ſicuti explicauimus; & quicunque ſeparauerit inter ſe numerationes, ſimilis erit ei, qui detruncat planetas, & amputat arborem, diuiditq; eam in duas partes, & diuellit eam de loco radicis ſuæ, de loco inquam nutritionis ſuæ. Corona ſiquidem ſumma radix eſt huius arboris, quæ vnit omnes influentiâ ſuâ, & omnes indigent ea, & comprehenduntur in virtute eius.* Quæ vt paulò clariùs diſten-

distendantur, Notandum, in tres ordines diuidi hanc Sephiroticam arborem: ordinem primum dicunt esse mysterium centri seu radicis, & est אין סוף *Ensuph*, infinitas, seu radicalis Dei natura; secundum, mysterium trium mentium, id est orthodoxè, hypostaseon, & sunt tres supremæ Sephiroth, Corona summa, Sapientia, & Intelligentia; tertium, mysterium diffusionis mentium in septem numerationes, id est, in septem attributa fabricæ tribus mentibus communia; quæ omnes conficiunt decem numerationes seu Sephiroth, & omnes simul sunt vnitas perfecta, quia *Ensuph* centrum seu radix manifestauit delubra sua in tribus mentibus, id est, tribus subsistentijs, & tres mentes manifestatæ sunt in 7 numerationibus; & quicquid inuenitur in 7, inuenitur quoque in tribus mentibus; & quicquid in tribus mentibus, inuenitur quoq; in vnitate centri; & quicquid inuenitur in vnitate centri, inuenitur quoq; in Ensoph. Differentia tantùm est, quòd septem numerationes, vti sub tribus mentibus, id est, hypostasibus latent, & in inaccesso diuinitatis & fontani luminis recessu sunt, absconditæ sint humanis mentibus; prout verò eadem veluti quidam diuinarum operationũ, prout in Mundũ sensibilem prodeunt, effectus sunt, nobis manifestæ sunt; omnes tamen vnitas vna, vnitatis suæ summæ, perfectissimæ, & obsolutissimæ sine fine & termino comprehendit denarium numerum infinitudinis, & virtutem vnitatis suæ in mysterio recessus per mysterium decem. Quæ vt relictis terminis Rabbinicis, nobis consueta ratione paulò clariùs dilucidemus;

Explicatur denarius numerus Sephiroth.

Sciendum, tria hoc denario Sephirotico à secretioribus Cabalæ Magistris indicari; primò supramundanum illum diuinæ essentiæ circulum in inaccesso diuinitatis abysso, quam Ensuph vocant, latentem, qui è centro incomprehensibili ratione euolutus dum se in infinitam possibilium rerum multitudinem egerit, vocatur Archetypus Mundus trium mentium, id est, trium altissimarum numerationum, quas nos orthodoxè SS. Triadem appellamus; omnis enim creatarum rerum amplitudo & vastitas in eo sub vnitatis simplicissimæ ratione complicatur: dum verò actu se diffundit, mox Mundus Angelicus, Sidereus, Elementaris, & humanus erumpunt, eo ordine & proportione dispositi, vt superiores semper influant in inferiores, seque vti sigillans ad sigillatum respiciant, omnes & singuli diuinorum nominum sigillis insigniti: siquidem Deus totius Archichoragus vniuersitatis, vniuersorum principium, medium, & finis, non necessitate, sed solâ liberrimâ suâ voluntate, & ex mera bonitate propter infinitam gloriam suam, teste Dionysio, omnia ex suo gremio seu profundissimo diuinitatis conceptu, & vt Hermes ait, è visceribus tenebrarum, quod *Ensuph* Hebræi vocant, emittens per *Chochma* Sapientiam Verbumque suum, cooperante *Binah* seu Spiritu Intelligentiæ suæ, primò produxit lucem, id est, Angelicas substantias, seu Mundum Intellectualem; ex luce illa Angelica emanaruunt astra; ex astris corpora seu Mundi machina sensibilis ex quatuor elementis compacta; & sic omnia

Omnia sunt in omnibus.

sunt in omnibus suo modo, & vnum manet in altero, sicuti semen in arbore, & arbor in semine (hæc duo licet distincta, vnum tamen sunt;)

omnia

omnia corpora seu elementa visibilia sunt in astris inuisibilibus seu spiritualibus elementis, & astra sunt in corporibus, astra sunt in Angelis, & Angeli sunt in astris, Angeli sunt in Angelis; sicuti septem inferiores Sephiroth, sunt in tribus superioribus, ita vt semper suum superius possit esse absque inferiori, non contrà. Nam Mundus visibilis non esset, nisi essent astra; nec vlla adessent astra, si Angelorum abessent essentiæ; Angeli non existerent, nisi esset increatus Deus, à quo dependerent; & vt D. Dionys. ait, cùm Deus in omnibus omnia sit, nihil tamen horum quæ sensu & ratione comprehenduntur, est.

S Dionysius l. de myst. Theol.

Deus itaque decem vestimentis indutus, se mundo conspiciendum præbuit; hoc enim cognito cognoscuntur Angeli, absolutæ & perfectæ Dei imagines; cognitis Angelis nota erunt astra; notis astris, omnia in visibili Mundo producta non latebunt; cognito Mundo sensibili, mox notus erit homo microcosmus Mundi filius. Omnia ab intra manant ad inferiora & externa. Nam à Deo dependent angelicæ substantiæ, ab Angelis astra, id est, inuisibiles rerum virtutes, ab astris inuisibiles corporum formæ. Sicuti igitur in Deo omnia sunt diuinè, in Angelis Angelice; ita in Mundo sunt omnia mundialiter: Nam vt lux lucet in tenebris, ita superius in inferiori suo. E conuerso, quicquid in Mundo visibili est sensibiliter, hoc est in astris astraliter, in Angelis Angelicè, in Deo diuinè, per catenam auream cœlitùs fragilitati nostræ dimissam in terram, aptè per scalam illam Iacob nobis indicatam, per quam Deus per Angelos descendit ad nos, nos in eadem per Angelos ascendimus ad Deum. Tota siquidem Mundi machina per decem Sephiroth indicata in Deo aliud non est, nisi ipse Deus, in Angelis Angelus, in astris astra. Atque hæc est arbor illa mystica, in cuius semine sicuti tota arbor cum radice, trunco, ramis, folijs, fructibus latet, sic tota Mundi machina in Angelo latet Angelicè, in Deo diuinè; semen est arbor complicata, arbor est semen euolutum & explicatum; vnitas est numerus complicatus, numerus est vnitas euolata; tres superiores Sephiroth est Diuinitas complicata, septem inferiores est Diuinitas euoluta; Angelus est astra complicata, astra sunt Angelus euolutus; Deus est, in quo ceu archetypo quodam Mundus complicatus est Diuino modo; Mundus est Deus, vt ita dicam, è centro veluti infinitudinis suæ & omnipotentiæ abysso euolutus. Exuperantissimus enim Deus, lux omnem lucem in se continens, per maiestatis suæ radium, hoc est, per Filium creat lucem Angelicam, per Angelos fluit in cœlos, per cœlos in elementa, ex elementis fluit in corpora, ex quibus tandem fructus in conspectum nostrum proueniunt. In microcosmo verò seu homine patet similiter inferiora esse in suis superioribus, vltima in penultimis, & rursus priora his in prioribus, aliudque semper in alio, quousque perueniatur ad summum. Nam sensus quinque sunt in imaginatione, imaginatio in ratione, ratio in mente, mens in Deo, Deus in seipso. Ex hisce, ni fallor, clarè patet, quomodo hanc arborem Sephiroticam Cabalistæ intelligant, de quibus cum in sequentibus vberiùs dicturi sumus, modò plura dicere supersedemus. Hinc Cabalistæ arborem

In Deo omnia sunt diuinè, in Angelis Angelice, in Mundo mundialiter seu sensibiliter.

Nota.

suam

Arbor Sephirotica pulchrè explicatur.

suam Sephirothicam eo pacto exprimunt, vt tres superiores Coronæ supremum arboris locum occupent, medium Tiphereth veluti truncus, cum quatuor ramis Clementiæ, Seueritatis, Victoriæ, & Honoris, eum veluti stipantibus; radices verò fundamentum & regnum. Tres superiores Coronæ fructus semine plenos exhibent, in quo tota arbor complicata est, id est, in tribus superioribus Sephiroth omnes seminalium rerum rationes complicatæ, deinde in Mundum Angelicum, cui Mundus Sidereus parallelè respondet, & potissimùm in Tiphereth solam, cor Mundi, siue mundanæ arboris medullam transmittuntur; quæ hinc mediante Iesod seu fundamento tandem à Malcuth sublunari Mundo collectæ, illam, quam miramur, rerum varietatem producunt. Hinc arborem hanc in varios canales, quos תעלות *Tsinoroth* vocant, diffundunt, quorum alij rectâ, & normali lineâ, alij obliquâ disponuntur, per quos superiorum influxus communicatur inferioribus. Quandocunque itaque ramus ex hac mystica arbore rescinditur, influxus in proximè inferiorem negari dicitur, plantaque truncari; si septem inferiores truncentur, quod in peccato Adæ factum est, tum tota arbor maledicto subiecta, omni influxu vegetatiuo priuata contabescere dicitur. Tota verò arbor influxibus diuinis perfectè patuit, tùm ante lapsum Adæ, tùm in Aduentu Messiæ, Authoris gratiæ, qui septem canales peccato obstructos per heptadem Sacramentorum perfectè reseruit, viam ad supremæ Sacrosanctæ Triadis agnitionem monstrauit. Verùm iam arboris figuram supponamus.

Canales Zephirotici Rabbinorum.

§ I.

Alia repræsentatio decem Sephiroth sub similitudine figuræ humanæ.

Triplex homo Cabalistarum, Archetypus, Cœlestis, Terrenus.

DIximus in primo capite huius libri, triplicem hominem à Cabalistis considerari, quorum quilibet ex mare & fœmina constet; hominem archetypum, hominem cœlestem, & hominem terrenum. Archetypum hominem refert Angelicus Mundus, fœminam militia cœli. Sidereum hominem sensibilis cœlorum machina, fœminam elementaris globus refert. Terrenus homo mare & fœmina constans microcosmus dicitur. Sicut itaque quilibet horum trium hominùm in marem & fœminam diuiditur, ita lex suo modo; ita vt quinque libri Moysis marem, Deutoronomium fœminam exprimant. In Pentateucho Deus, id est, intellectus agens, qui maris vices obit, loquitur; in Deutoronomio Moyses, siue mens humana fœminæ rationem ad Deum comparata obtinet: vnde & Pentateuchus זכור, id est, *memento*; Deuteronomium שמור, *custodi* à Cabalicis dicitur. Quilibet horum hominum iuxta Decalogum decem præcipuis membris constat. hoc pacto in lege est decem diuinorum præceptorum constitutio, in homine decem præcipua membra, in Angelica Hierarchia decem Chori seu ordines. Omnes hæ recensitæ Decades à de-

à decem sanctissimis Dei nominibus tanquam exemplaribus ducunt originem, ad eaque respiciunt & tendunt vniuersa; quorum omnium typum in principio huius tractatus contemplare. Sed explicemus singula.

Legem Moysis cur Cabalistæ humano corpori comparârunt.

Nemo miretur, Cabalistas legem Moysis humanæ compagini tanto studio adaptasse. Cùm enim ipse Microcosmus homo, ad magni Mundi similitudinem & exemplar fabricatus sit, lex eius, quâ regitur, magni Orbis legem referat necesse est. Lex autem illa suprema cùm nobis non aliunde quàm per effectus & sensibilia eius opera innotescat; magis autem & certiùs sensu deprehendamus ea, quæ assidùè in nobis ipsis experimur; ideo huius microcosmi partes, operationes, & actus clariùs, utiùsque nos instruunt docentque legem imitari supernam, quàm vllæ partes, & quæcunque opera Vniuersi. In eo igitur insistere debet, qui Vniuersi pulchritudinem intueri cupit. Quamobrem Cabalistæ quoq; hominem, non vt ex principijs vel elementis compositum, sed vt peculiaribus principijs, quibus magno Mundo assimilatur, existentem considerare solent; cùm omnium quæ in Mundo conspiciuntur, homo similitudinem habeat. Lex itaque omnia per humanam effigiem monstrat, tanquam illustrem rerum imaginem, cuius cognitione etiam Dei cognitionem, futurorum prædictionem, & miraculorum operationem se consequi Cabalistæ arbitrantur. Illa enim tria ex nostro cum supernis connexu dependent. Nexus autem cum superis, intelligitur ex hominis cum Mundo similitudine; atque in his omnibus hominis structuram lex præcipuè imitatur. Porrò cùm per operationem & mobilium corporum varietatem, Intelligentiarum multitudinem & discrimina conijciamus, ideo prædictis decem corporibus, decem intellectuales substantias præfici necessum fuit; quæ omnes subiectas sibi cœlorum orbitas, & Microcosmi decupartitam compagem respiciunt. Nam, vt rectè R. Isaac notat in Ietsirah, quodlibet ex dictis principalibus humani corporis membris, singulis Sephiroth rectè adaptatur. Pari pacto eædem decem Sephiroth singulis è decem cœlestibus corporibus correspondent, vt fusè Commentatores in Ietsirah, R. Israël lib. Kuna, R. Simeon, & Author Pardes demonstrant; ita vt influxus primò sint per decem Sephiroth, in decem ordine hierarchias Angelicas (tot enim Cabalistæ statuunt) & hinc in sibi subiectos decem cœlorum globos, & hinc in decem elementaris Mundi membra, ac tandem in microcosmum hominem vltimam & præstantissimam creaturam, omnes dictorum Mundorum partes implicitè complicantem, vnde & naturæ miraculum maximum, summum Dei technasma, & consumatissimum Mundi exemplar, verè omnis creatura, quia est omnis Mundus, solusque hoc honore gaudet, quòd cum omnibus symbolizet, cum omnibus operationem, cum omnibus conuersationem habeat. Quod vt Cabalæ secretiores Magistri luculentiùs declararent, decem Sephiroth sub humanæ similitudine formæ varijs modis referre conati sunt. Primò enim humani corporis membra intra literam א *Aleph* curiosè disponunt. Sed figuram ex Pardes extractam vide in sequenti schemate expressam, figura 2 & 3.

R. Isaac.

R. Israel. R. Simeon. Pardes.

Fi-



De quibus ita Pardes in porta שער עמיתן id est, sociorum.

והנה רצוננו לכתוב צורת האדם העליון בצורת אלף לרמוז כי כולו יחוד שלם אע"פ שנאמר עשר שמות דברים מהולקים כולו יחוד וזה הורה ברמות אלף ויש קצת סמך לדעת זה בדברי הר"שב"י ע"ה בספר התיקונים כי בוונת צורת השם שהוא עשר ספירות כנודע בצורת אלף לרמוז אל עשר מיוחדים אחדות שוה אחדות שלימה בשם בן ארבע אותיות:

Et ecce intentio est nobis describere figuram hominis supremi sub figura א *Aleph, ad indicandum in omnibus* vnitatem perfectam, *etiamsi nomina* 10 *sint, notat tamen rerum diuisarum in omnibus* vnum perfectum, *& hoc sub similitudine figuræ* א *Aleph; quibus astipulatur Rasbi, super eum pax. Intentio autem fuit huius figuræ nominis, quod illud decem Sephiroth scribi notum est sub figura* א *Aleph, ad indicandum decem* vnita vnitate, *quæ æquent* vnitatem perfectam *sub nomine Dei tetragrammato* יהוה *contineri.*

Caput itaque tres continet Sephiroth, כתר : חכמה : בינה, vt vides, notatque archetypam Mundi partem, cuius symbolum ד est; medius tractus Aleph signatus חה, pectus & duo brachia in homine mystico Siderei Mundi indicat, cuius symbola sunt חה, duo binarij nominis tetragrammati יהוה; quæ iuncta iterum dant decem digitos, quinque vtrinque in homine mystico; medium est *Tiphereth* Sol & cor Mundi, *Gedulah* quinq; magnificentiæ suæ affectis planetis superioribus stipatur, *Geburah* Lunam cum quatuor elementis comprehendit, quinque fortitudinis & iudicij affectis armatus: pedes verò huius hominis mystici designat tractus Aleph signatus litera ו; cuius extrema נצח & הוד pedes dextrum & sinistrum quinque digitorum, id est, decem in sublunari Mundo seu מלכות entium gradus designant, in quos influxus superiorum veluti in inferiora paratur.

Aliter,

Aliter vt in secunda figura, teste Pardes, veteres hominem illum triplicem adornauerunt sub figura Aleph א ponunt, in quo quidem decem Sephiroth eo ordine, quo vides, disponunt, quas circulus totidem Sephiroth versans ambit. per א Archetypum hominem, cum reliqua mystici hominis, quem influit, sobole indicant; circulus diuinæ infinitudinis, & fontani luminis inaccessam abyssum, in quo omnia vnum sunt, & Deus in omnibus omnia, rectè notat; in quo Kether & Malcuth principium cum fine & medio vnum prorsus sunt. sed de his verbosè differentem authorem Pardes consule citato loco. Magnus ergo Mundus cum paruo per omnia vnus est instar prolis cum parente suo, & hi vnum cum Mundo Intellectuali & Archetypo; Et quemadmodum magnus Mundus bipartitus, visibilis & inuisibilis; ita etiam homo, paruus Mundus, duplex est, visibilis secundùm corpus, inuisibilis secundùm spiritum. Sunt autem in homine duo spiritus, vnus à firmamento, videlicet sidereus, alius è spiraculo vitæ ore Altissimi est anima intellectualis à Deo inspirata. Vt proinde in homine non sit membrum, quod non alicui elemento, alicui planetæ, alicui intelligentiæ, & alicui mensuræ, ac numerationi in archetypo respondeat.* Qui si canales archetypos rectè per adhæsionem Dei ordinare nôrit, ex omnibus vitæ cœlestiumque donorum alimentum trahet sugetque; si verò deflexerit à Dei similitudine per operationum malitiam, canales obstruet, & à fine suo deficiet. Atque hæc est arcanæ decem Sephiroth sub humana figura exhibitæ dispositionis ratio.

*Sententia Cabalistarum.

§ II.

De Canalibus & Influxibus systematis Sephirotici, ex Cabalistarum mente.

INfluxus, quos in Sephirotico systemate considerant Cabalici, fiunt à suprema Corona in singulas ordine consequentes Sephiras siue mensuras, iuxta triplicem aut quadruplicem Mundum, vti dictum est, dispositas; semitæ verò, quas צינורות *Tsinoroth*, id est, Canales seu riuos vocant, iuxta numerum literarum in Alphabeto Hebraico contentarum sunt viginti duæ, per quas diuinæ virtutis emanatio influxusque in vniuersam creaturam perficitur. Nam etsi omnes mensuræ seu numerationes in archetypo Mundo vnum prorsus sint; comparatione tamen ad creaturas facta, singulæ differentes virtutum operationumque suarum rationes fortiuntur. quod hâc similitudine sanè aptissima expono. Exponantur alicubi radio Solis decem diuersa vitrea specula diaphana, quorum prius nulla coloris mistura infectum purè cristallinum sit, secundum flauo colore tinctum, tertium aureo, quartum rubro, quintum viridi, sextum purpureo, septimum cæruleo, octauum puniceo, nonum fusco, decimum denique nigro colore infectum sit: hæc specula ita radio Solis exponantur, vt singula radios exceptos in candidam quandam superficiem traijciant.

Similitudo explicans qua ratione Sephiroticus influxus fiat in hæc inferiora.

Quo posito, certum est lucem hanc, tametsi vna & eadem sit, in diuersissimos tamen colores, ratione diuersitatis mediorum, per quæ transit, abituram: primum enim speculum puram lucem & immutatam, secundum aliquantùm alteratam, & sic de cœteris, pro ratione colorum, quibus lux tingitur, in oppositam superficiem transfundent. Lux itaque archetypa in omnibus numerationibus & mensuris prorsus eadem est, & nulli mutationi aut varietati obnoxia; prout autem in Mundum Angelicum influit, statim in decem Angelicorum ordinum Choris (Cabalistæ enim decem statuunt) pro ratione effectuum attributorumque, quæ decem Sephiroth exhibent, diuersas prorsus operationes & munia confert; ita vt quantò supremæ mensuræ viciniores fuerint, tantò plùs de luce participent; quantò remotiores, tantò minùs de ea participent. Omnes itaque Sephiræ seu mensuræ vna & eadem vis est, aliter tamen & aliter pro diuersitate mediorum, quæ transit, modificata. Explicant hoc pari pacto Cabalæ Magistri peritiores per decem diuersa vestimenta, vt suprà diximus, quibus indutus Deus in vniuersum, singulasque eius Classes procedit. Atque hoc est fundamentum dogmatis illius, quo Hebræi originem animarum, diuersitatemque complexionum in hominibus assignant, & suo modo Platonicorum dogmati congruit. Dicunt enim animas, antequam corpori alligentur, à suprema Corona & Binah, per canales decem Sephiroth procedere, & talem dicunt habitum futurum nati, qualis fuerit natura & proprietas Sephiræ, per quam transit.

Cabalistarum error Platonicus.

Sed ad institutum reuertamur. Habent se Sephiroth ad inuicem eâ ratione, vt semper vis inferioris sit in superiori, non contrà; quam subordinationem scitè his verbis describit Pardes in fine portæ Amidathan.

Pardes.

וגמצא כח המלכות ביסוד מפני שהוא עילמה בערך היסוד שצריך אליה לקבל מהוד שלמעלה ממנה וכן כח החוד בנצח מפני שהוא צריך אליה לקבל מת"ח שהוא למעלה ממנה וכן כח הנצח בת"ת מפני שהיא צריך אליה כדי לקבל מהגבורה שהיא למעלה ממנה וכן כח הת"ת בגבורה מפני שהגבורה צריך אליה כדי לקבל מהגדולה שהיא למעלה ממנה וכן כח הגבורה בגדולה מפני שהיא צריך אליה כדי לקבל מהבינה שהיא למעלה ממנה וכן כח הגדולה בבינה מפני שצריך אליה כדי לקבל מהחכמה שהיא למעלה ממנה וכן כח הבינה בהכמה מפני שהיא צריך אליה כדי לקבל מהכתר שהיא למעלה ממנה וכן כח החכמה בכתר שהכתר צריך אליה כדי לקבל מא"ס שהוא למעלה ממנה ואין אנו יכבלים ר' לומר שיהיה כח הכתר בא"ס כי איני צריך אל זולתו והכל צריכים לו והוא מקור לכל והכל שואבים ממנו והוא סיבת עצמו ואין קודמת אליו:

Sephiræ inferiores dependêt à superioribus, iuxta Cabalistas.

Hoc est: *Inuenimus autem, quòd virtus & potentia Malcuth sit in Iesod, eò quòd hoc sit illo superius; ita tamen, quòd necessarium sit Iesod accipere virtutem ab Hod tanqaam à se superiori; & sic virtus Iesod est in Hod, eò quòd ipsa opus habeat accipere à Nitsah tanquam superiori; & sic virtus Hod est in Nitsah, eò quòd ipsa indiget accipere à Tiphereth, & sic vis Nitsah est in Tiphereth, eò quòd accipiat à Geburah superiori se: & sic virtus Tiphereth est in Geburah, eò quòd ipsa opus habeat virtutem accipere à Gedulab se superiori; et sic virtus Geburæ est in Gedulab, eò quòd necessarium sit ipsi, accipere virtutem à Binah tanquã à supe-*

superiori se: & sic virtus Gedulab est in Binah, eò quòd ipsa indigeat accipere à Binah se superiori; rursus virtus Binah est in Cochmah, eò quòd ipsa opus habeat virtutem suam accipere à Cochmah superiori se; & sic virtus Cochmah est à Ketber, quia ipsa opus habet accipere virtutem à Ketber tanquam superiori se; & non possumus dicere, quòd virtus Ketber sit in Ensoph, quia non opus habet illa, cùm omnes ipsa indgeant, ipsa nullis, est enim fons omnium, & omnia hauriunt ex ipsa tanquam causa causarum, ante quam nihil est.

Hoc pacto omnes Sephiroth superiores virtutem & potentiam exercent in inferiores, & se per modum principij actiui habent respectu inferiorum, & per modum principij passiui respectu superiorum. Pari ratione, Angeli superiores influunt in inferiores, & corpora suprema in inferiora; pari passu & proportione potentiæ animæ sibi ritè subordinantur. Quibus quidem explicatis iam ad canales redeamus, quorum viginti duos, vt diximus, constituunt, iuxta numerum literarum Alphabeti, iuxta illud Ietsirah:

Autor Iezirah.

עשר ספירות בלימה אחד רוח אלהים חיים ברוך ומבורך שמו אל חי העלמים
קול ורוח ודבור וזה רוח הקדש שתאם רוח מרות הקק וחשב בה עשרים ושתים
אותיות:

Id est, *Decem Numerationes præter illud ineffabile; vnus spiritus Deorum viuentium, benedictum sit nomen eius, qui viuit in secula; Vox, Spiritus, & Verbum, & hic est Spiritus sanctitatis. Duo, Spiritus de Spiritu, exarauit & exsculpsit in eo viginti duas literas*, omnes diuino nomine יה insignitas, vt postea declarabitur. Atque hi sunt viginti duo canales, per quos diuinarum virtutum abundantia in vniuersam rerum naturam deriuatur; & sic ordinantur.

§ III.

Deriuatio Canalium.

Vide schematismum arboris Sephiroth hic appositum.

א Primus canalis à *Ketber*, id est, *Corona summa* deriuatur in *Cochmah*, id est, *Sapientiam*; & signatur Dei nomine trium literarum, ex א prima Alphabeti litera & nomine Dei יה composito, vt sequitur - אין Deus infinitudinis.

ב Secundus canalis deducitur ex *Ketber* siue *Corona summa* in *Binah*, hoc est, *Intelligentiam*; cuius sigillum est trium literarum vt sequitur - - - ביה Deus Sapientiæ.

ג Tertius ex *Ketber* seu *Corona summa*, in *Tiphereth* siue *pulchritudinem*; cuius sigillum est vt sequitur - גיה Deus retributionis.

ד Quartus ex *Cochmah*, id est, *Sapientia*, in *Binah*, id est, *intelligentiam*; cuius sigillum est - - - דיה Deus portarum lucis.

ה Quin-

ה Quintus canalis deducitur ex *Cochma* in *Tipheretb*, id est, ex *sapientia* in *pulchritudinem*; cuius sigillum est - - - הוה Deus de Deo.

ו Sextus ex *Cochmab* in *Gedulab*, id est, ex *sapientia* in *magnificentiam*; cuius sigillum est trium literarum - - - ויה Deus Conditor.

ז Septimus ex *Binab* in *Tipheretb*, seu ex *intelligentia* in *pulchritudinem*; cuius sigillum est - - - זיה Deus fulgoris.

ח Octauus ex *Binab* in *Geburab*, id est, ex *intelligentia* in *fortitudinem*; cuius sigillum est - - - - חיה Deus misericordiæ.

ט Nonus ex *Gedulab* in *Geburab*, seu ex *magnificentia* in *fortitudinem*; cuius sigillum est - - - - טיה Deus bonitatis.

י Decimus ex *Gedulab* in *Tipheretb*, seu ex *magnificentia* in *pulchritudinem*; cuius sigillum est - - - - יה Deus principium.

כ Vndecimus ex *Gedulab* in *Netsab*, id est, *magnificentia* in *victoriam*; cuius sigillum est - - - - כיה Deus immutabilitatis.

ל Duodecimus ex *Geburab* in *Tipheretb*, id est, ex *fortitudine* in *pulchritudinem*; cuius sigillum est - - - ליה Deus 30. semitarum sapientiæ.

מ Decimus tertius ex *Geburab* in *Hod*, ex *fortitudine* in *gloriam & honorem*; cuius sigillum est - - - - מיה Deus arcanus.

נ Decimus quartus ex *Tipheretb* in *Netsab*, ex *pulchritudine* in *victoriam*; cuius sigillum est - - - - ניה Deus 50. portarum lucis.

ס Decimus quintus ex *Tipheretb* in *Iesod*, ex *pulchritudine* in *fundamentum*; cuius sigillum est - - - - סיה Deus sulciens.

ע Decimus sextus ex *Tipheretb* in *Hod*, ex *pulchritudine* in *honorem*; cuius sigillum est - - - - - עיה Deus Auxiliator.

פ Decimus septimus ex *Netsab* in *Hod*, ex *victoria* in *honorem*; cuius sigillum est - - - - - פיה Deus eloquiorum.

צ Decimus octauus ex *Netsab* in *Iesod*, ex *victoria* in *fundamentum*; cuius sigillum est - - - - - ציה Deus iustitiæ.

ק Decimus nonus ex *Netsab* in *Malcuth*, ex *victoria* in *regnum*; cuius sigillum est - - - - - קיה Deus rectitudinis.

ר Vigesimus ex *Hod* in *Iesod*, ex *gloria* in *fundamentum*; cuius sigillum est - - - - - - ריה Deus caput.

ש Vigesimus primus ex *Hod* in *Malcuth*, ex *gloria* in *regnum*; cuius sigillum est - - - - - שיה Deus Saluator.

ת Vigesimus secundus ex *Iesod* in *Malcuth*, ex *fundamento* in *regnum*; cuius sigillum est - - - - תיה Deus finis omnium.

Vides igitur 22 canales Sephiroticos iuxta numerum viginti duarum literarum dispositos, quorum vnusquisque nomine Dei יה signatur, cui præfixæ ordine literæ viginti duæ constituunt nomina rerum seu entium naturæ gradus, quibus signati vim à Deo acquirunt ad operationes suas ritè perficiendas; gradus verò entium literis viginti duabus correspondentes vide suprà in Alphabeto mystico Hebræorum. Innuitur hoc mysterium in seet: 3 libri Ietsiræ, vbi sic dicitur. *Author Ietsiræ.*

אלו כ"ב אותיות שבהם יסד הק"בה יה יהוה צבאות אלהים חיים אלהי ישראל רם ונשא שוכן עד וקדוש שמו ומרום וקדוש הוא:

Hæ sunt viginti duæ literæ, quibus Deus (Sanctus benedictus sit ipse) *fundauit* יה *iah tetragrammaton Tsebaoth. Dij viuentes, Deus Israël sublimis & exaltatus, habitator æternitatis, & sanctum nomen eius, exaltans & sanctus ipse.*

Sigilla singula tres literas habent, quarum primæ sunt literæ Alphabeti; duæ posteriores constituunt nomen יה; quo quidem, velint nolint, ceruicis Hebræi fateri coguntur, nihil aliud indicari, quàm omnes, quæ in Mundo sunt, entium ordines, Sacrosanctæ Triadis signaculo expressos esse; quod & locus Ietsiræ paulò antè citatus exactè docet, dum dicit, viginti duabus literis fundauit Deus יה, *Dij viuentes &c.*

Tres itaque primi canales à *Kether* in *Cochma*, in *Binah*, in *Tipheretb* deducuntur; quæ tres in Deo emanationes constituunt, fundanturque in *Tipheretb*, quod est centrum vniuersæ creaturæ. Rursus tres canales à *Cochma* deriuantur in *Binah*, & *Tipheretb*, & *Gedulab*; Canalis à *Cochma* in *Binah* monstrat triginta duas semitas sapientiæ, de quibus postea; Canalis à *Cochma* in *Gedulab*, annexos habet septuaginta duos pontes, de quibus in nomine septuaginta duarum literarum. Duo Canales à *Binah* deriuantur in *Geburab* & *Tipheretb*; ita vt *Tipheretb* à *Kether*, *Cochma*, *Binah*, influ- *Dispositio & ordo 22 canalium.*

influxus, tanquam filius à tribus parentibus, vt Rabbini loquuntur, procedat. Rursus tres canales *Gedulah*, quorum primus est à *Gedulah* in *Geburah*, qui se habet vt ignis & aqua; *Geburah* enim ignis seueritatis mitigat aquas *Chesed*, hoc est, *misericordiæ*, vnde necessarium Mundo temperamentum, vtpote sine quo destrueretur: Secundus canalis *Gedulah* est ad *Tiphereth*, trahitque secum triginta quinque Principes dextros, & septuaginta duas potestates, quæ per septuaginta duo nomina Dei indicantur; tertius est à *Gedulah* ad *Netsah*. Porrò *Geburah* duos canales habet, quorum vnus est ad *Tiphereth*, qui secum trahit triginta quinque Principes seueritatis sinistros; alter est à *Geburah* ad *Hod*, trahens secum præcepta negatiua, sicuti canalis *Chesed* & *Netsah* præcepta affirmatiua, de quibus postea. Iterum tres canales à *Tiphereth* in *Hod*, in *Iesod*, & in *Netsah* deriuantur; tres quoque à *Netsah* in *Hod*, in *Iesod*, in *Malcuth*; duo ex *Hod* in *Iesod* & *Malcuth*; vnus tandem ex *Iesod* in *Malcuth*, quæ est meta & terminus vniuersæ creaturæ. Habemus iam viginti duorum canalium dispositionem, ordinem, & attributa; iam singula per paragraphos ordine declaremus.

§ IV.

De triginta duabus semitis Sapientiæ, eorundemque iuxta mentem Cabalistarum sincera interpretatione.

ADuertunt in Sephirotico systemate Cabalicæ doctrinæ veteres Mystæ triginta duas semitas, quas לל׳ נתיבות החכמה, *triginta duas semitas sapientiæ* nominant, & egrediuntur à Sephira *Cochma*, id est, *Sapientia*, iuxta illud: בחכמה עשית העולם, *in sapientia Mundum fecisti*; & nihil aliud sunt, quàm luminosi quidam tramites, quibus sancti Dei homines per longum diuinarum meditationum vsum & experimenta tandem ad diuinæ abyssi penetralia pertingunt, de quibus ita liber Ietsirah:

Semita 32 sapientiæ quid sint.

בשלשים ושתים נתיבות פלאות החכמה חקק יה יהוה צבאות שמו בספר וספר וסיפור:

Cum triginta duabus semitis mirabilibus sapientiæ exsculpsit Deus tetragrammaton Zebaoth nomen suum cum tribus numerationibus, numero numerante & numerato. Quæ vt intelligantur, sciendum est, quòd tametsi causa causarum Deus summa corona per potentiæ suæ infinitudinem vniat, & subsistere faciat omnia existentia; per suam tamen sapientiam coæternam, & per omnia sibi coæqualem regit omnia, fulcit omnia, condit omnia, & ideò liber Ietsirah statim exordium suum capit à triginta duabus semitis sapientiæ, eò quòd illæ emanent & trahantur à mente summa & abscondita in sapientiam, & omnis semita emanando à sapientia trahit secum margaritas & preciosissimas gemmas de corona summa causa causarũ, quousq; pertingat ostendere omnem semitam in intelligentia. Est enim sapientia omnium

Sapientia sita Deus regit omnia.

omnium existentium principium, & finis omnium, ideo in ea efformatæ, exsculptæ, & exaratæ sunt omnes res in mysterijs fundamentisque suis, & in ea expressa sunt omnia, quæ cœli terræque ambitu continentur, suntque semitæ hæ eidem innexæ tanquam flammæ carboni absque vlla detruncatione & diuisione. Vocant admirabilem, quia sicuti causa causarum est in summa omnium admiratione, sic & sapientia, quæ de interiori fulgore splendoris gloriæ suæ essentiæ emanat, vocatur admirabilis, & semitæ ab ea procedentes, ob incomprehensas earundem dispositiones, vocantur admirabiles & absconditæ; de quibus fusè agentes consule R. Meir in Liphne Liphnim; R. Iacob Cohen in hunc locum. Nam vt rectè testatur R. Isaac, prisci sapientes per viam Cabalæ & fundamenta legis docuerunt nos, quòd maiores nostri ambulauerunt per vias multas, vt tandem starent in semitis istis, quæ dicuntur admiranda sapientiæ tradita per Tsadkiel Abrahæ patri nostro in traditione fœderis. Verùm antequam ad enarrationem earundem procedamus, primò cur illarum triginta duæ, & vnde fuerint extractæ, dicemus.

R. Meir. R. Iacob Cohen. R. Isaac.

Diximus in præcedentibus, ipsam trium diuinarum hypostaseon essentiam ab Hebræis vocitatam fuisse אין סוף, *Infinitum, sine termino*. Hæc itaque in abysso tenebrarum recondita, dum sola suiipsius contemplatione æternùm sine vllo ad creaturas respectu fruitur, אין, id est, quasi nonens dicitur: At vbi se ita ostenderit, vt nostro concipiendi modo sit aliquid, & reuera subsistat, tùm א *Aleph* tenebrosum in voce אין, in *Aleph* lucidum, vt more Cabalæorum loquar, conuertitur, iuxta illud, *Sicuti tenebræ eius, ita & lux eius*; & tunc quidem, quando exire cupit, & apparere omnium rerum causa, per ב *Beth* proximè sequentem literam apparere petit, *Aleph* magnum appellatur. ita Menahem Raccanati:

Semitæ cur 32, & vnde extractæ.

עלכך תמצא האות הזאת פועלת חדרים כלם:

Menahem Raccanati.

Id est, *Ideò inuenies hanc literam efficientem omnes res.* Nam א *Aleph* literæ ב *Beth* sibi vicinissimæ fœcundissimæque præfixa producit dictionem אב, quæ generationis & productionis rerum omnium pater dicitur; deinde אין, id est, abscondita Dei essentia assumptum ב *Beth* in vniuersitatem entium, quæ per mediam literam vocis אין, id est, per י indicatur, per quinquaginta portas, quæ per ן finale in voce אין aptè indicantur, ablegat; quare ן suffixa ב לשון producit בן, quæ Filius in diuinis nominatur, estque secunda emanatio, dicta רשית, id est, *principium*, iuxta illud: בראשית ברא אלהים, *In principio*, seu vt Thargum Hierosolymitanum habet, בחכמתא, *in Sapientia*, hoc est, *in Filio, creauit Deus cœlum & terram*; Scriptum est enim, *Omnia in sapientia fecisti*. Hoc modo primus effluxus fit secunda emanatio, quia terminus generationis est Filius. Porrò in voce אין inter א *Aleph* & ן *Nun* intermediat י *Iod* signum nominis Dei יה *iah*. Hosce duos characteres si voci בן inseueris, hâc ratione, vt י inter ן & ב, ה verò post ב *Nun* inseras; nascetur בינה, *Intelligentia*, emanatio in di-

Thargum Hierosolym.

in diuinis tertia, quæ & Spiritus sanctus dicitur. Quæ omnia in tribus primis dictionibus primi capitis Genesis partim expansè, partim contractè demonstrantur: בראשית ברא אלהים, *In principio creauit Deus*; quasi diceret: Deus Pater in Filio cum Spiritu sancto creauit cœlum & terram; ita vt א *Aleph* respiciat Patrem in diuinis אב, ב *Beth* בן, Filium, ר *Resch* רוח, id est, Spiritum sanctum; quæ & in vnica voce ברא inueniuntur, vbi per א *Aleph* אב *Pater*, per ב *Beth* בן *Filius*, & per ר *Resch* רוח, id est, *Spirtus sanctus* indicatur. Cùm itaque per Filium, quæ est Sapientia Patris, omnia creata sint, totiusque creationis mysterium sub Pentateucho lateat; duplici viâ paulatim in triginta duorum sapientiæ tramitum notitiam peruenerunt. Primò viginti duas literas Alphabeti Hebraici, quæ rerum omnium creatarum ordines & gradus, vt suo loco monstratum fuit, sub allegoricis inuolucris continent, decem Sephiroth, id est, diuinis nominibus coniungentes, producunt triginta duas semitas sapientiæ, quas & ex lege Mosaica hoc pacto eruunt. Prima litera totius legis ב est, in בראשית, vltima ל *Lamed* est, in ישראל, quæ coniunctæ sic, לב, constituunt 32. Et præterea ipsa dictio cor significat, quo indicare volunt, neminem ad tam arduam rerum sublimium considerationem pertingere posse, nisi cordis puri & integri, & ab omnium sensibilium rerum contagione abstractum hominem. Præterea in primo Genesis capite inuenitur nomen אלהים *Elohim* trigesies bis; vnde colligunt, Deum per tres Sephiroth supremas in Mundum processisse per triginta duas semitas, ad humanæ fragilitati insinuandum, quòd legi continuò intentus, per earundem semitarum assiduam contemplationem inuestigationemque pari passu in Deum redire, eique vnir possit. Itaque triginta duæ semitæ à sapientia egrediuntur in *Binah*, quæ illas ex potentia in actum educit per manum validam nominis Dei quadraginta duarum literarum, quòd exhibent primus & vltimus legis versiculus, vti suprà, cùm de nomine hoc quadraginta duarum literarum ageremus, ex Pardes declaratum fuit. Verùm hoc loco non omittenda duxi loca primi capitis Geneseos, quibus trigesies bis ponitur nomen אלהים *Elohim*: hoc enim cùm numerationi *Binah* competat, *Binah* autem semitas à sapientia emanantes ex potentia in actum educat, vnde & Mundus naturæ dicitur; facilè quinam dicti triginta duo sapientiæ tramites sint, ostendit ipsis versibus, quibus inseruntur.

Semitæ 32 ex lege Mosaica quomodo extractæ.

§ V.

§ V.

Loca in quibus Nomen Dei אלהים trigesies bis in primo Genesis capite ponitur.

1 בראשית ברא אלהים: 2 ורוח אלהים מרחפת:
In principio creauit Elohim. *Et spiritus Elohim ferebatur.*

3 ויאמר אלהים יהי אור: 4 וירא אלהים את האור:
Et dixit Elohim, fiat lux. *Et vidit Elohim lucem.*

5 ויבדל אלהים בין האור: 6 ויקרא אלהים לאור יום:
Et diuisit Elohim, inter lucem. *Et vocauit Elohim lucem, diem.*

7 ויאמר אלהים יהי רקיע: 8 ויעש אלהים את הרקיע:
Et dixit Elohim, fiat firmamentum. *Et fecit Elohim firmamentum.*

9 ויקרא אלהים לרקיע: 10 ויאמר אלהים יקוו המים:
Et vocauit Elohim firmamentum. *Et dixit Elohim, congregentur aquæ.*

11 ויקרא אלהים ליבשה: 12 וירא אלהים כי טוב:
Et vocauit Elohim aridam. *Et vidit Elohim quòd esset bonum.*

13 ויאמר אלהים תדשה: 14 וירא אלהים כי טוב:
Et dixit Elohim, germinet. *Et vidit Elohim quòd esset bonum.*

15 ויאמר אלהים יהי מאורות: 16 ויעש אלהים את שני המאורות:
Et dixit Elohim, fiat luminaria. *Et fecit Elohim duo luminaria.*

17 ויתן אלהים אותם: 18 וירא אלהים כי טוב:
Et dedit Elohim ipsis. *Et vidit Elohim quod esset bonum.*

19 ויאמר אלהים ישרצו: 20 ויברא אלהים את התנינם
Et dixit Elohim, pullulent. *Et creauit Elohim Cete.*

21 וירא אלהים כי טוב: 22 ויברך אותם אלהים:
Et vidit Elohim quoniam bonum. *Et benedixit Elohim illis.*

23 ויאמר אלהים תוצא הארץ 24 ויעש אלהים את חית:
Et dixit Elohim, producat terra. *Et fecit Elohim animalia.*

25 וירא אלהים כי טוב: 26 ויאמר אלהים נעשה אדם:
Et vidit Elohim quòd esset bonum. *Et dixit Elohim, faciamus hominem.*

27 ויברא אלהים את האדם: 28 בצלם אלהים:
Et benedixit Elohim homini. *Ad imaginem Elohim.*

29 ויברך אותם אלהים: 30 ויאמר להם אלהים:
Et benedixit Elohim illis. *Et dicit illis Elohim.*

31 ויאמר אלהים הנה נתתי: 32 וירא אלהים כי טוב:
Et dixit Elohim, ecce dedi. *Et vidit Elohim quia bona.*

R. Rasbi R. Ioseph Haaruch.

Atque hæ sunt triginta duæ semitæ, quas ex capite primo Genesis erunt רבי שמעון בן יוחאי Rasbi, R. Ioseph Haaruch; ijsque singulis sua nomina ab effectibus deducta, imponunt Hageonim. Verùm subiungamus nomina singulorum ex Pardes extracta.

Nomina 23 semitarum.

1 הנתיב הראשון נקרא שכל מופלא ו׳ס׳ע׳ והוא אור מושכל קדמון והוא כבוד ראשון אין כל בריה יכולה לעמוד על מציאותו :

Prima semita vocatur Intelligentia admirabilis, Corona summa. Est enim lumen dans intelligere primordium sine principio, & est gloria prima; nulla creatura valet assequi existentiam eius. id est, intelligentia abscondita, occulta omnibus, quæ extra eam sunt, א Aleph, principium & caput omnium; est siquidem א forma omnium literarum, & omnes semitæ in ea sunt, sed per modum vniuersalem; hinc per metathesin dicitur פלא, id est, admirabilis, quod retrogradâ lectione idem est ac אלף Aleph, iuxta illud, *Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis, &c.*

2 הנתיב הב׳ הוא שכל מזהיר והוא כתר הבריאה ונזהר האחדות השוה המתנשא לכל לראש והוא נקרא כפי בעלי הקבלה כבוד שני :

Secunda semita est, intelligentia illuminans; & est corona creationis, & splendor vnitatis maximè æqualis, quæ super omne caput est exaltata, & vocatur à Cabalistis gloria secunda. Vocatur autem illuminans, quia cùm sit origo totius creationis, notior est consequenter priore, quæ est אין סוף *Ensuph*, intelligentia abscondita, & ideo hæc semita vocatur etiam modus adæquationis. ita Radak in hunc locum Ietsiræ.

Radak.

3 הנתיב השלישי נקרא שכל הקודש והוא יסוד החכמה הקדומה הנקרא אומנן ושרשיה אמן והוא אב האמונה שמכחו האמונה נאצלת :

Tertia semita vocatur intelligentia sanctificans, & est basis sapientiæ primordialis, quæ vocatur artifex fidei, & radices eius אמן; *& est, parens fidei, quia de virtute eius fides emanat*; respondet autem tertiæ Sephiræ seu mensuræ, quæ בינה Binah seu intelligentia dicitur; quia per hanc exitus sapientiæ in omnes numerationes. Verùm de hoc ample discurrentem vide librum intitulatum Bareschith Rabba.

Author libri Bareschith Rabba.

4 הנתיב הרביעי נקרא שכל קבוע ונקרא כן שממנו מתאצלים כל הנתות הרחניות בדקות האצילות שמתאצילות אלו מאלה בכח המאציל הקדמון :

Quarta semita vocatur intelligentia metalis seu receptacularis, eò quòd in eam tanquam in metam ex superioribus Intelligentijs delatæ, ab ea emanant omnes virtutes spirituales per subtilitatem, quâ vna ab altera in virtute coronæ summæ emanat, vocaturque idealis effluxus.

5 הנתיב החמישי נקרא שכל נשרש ונקרא כן מפני שהוא עצם האחדות השוה והוא המיוחד בעצם הבינה הנאצלת מגדר החכמה הקדומה :

Quinta semita intelligentia vocatur radicatiua, eò quòd illa est ipsa vnitas maximè æqualis, qua coadunat se cum ipsa בינה *intelligentia, quæ emanat è penetralibus sapientiæ primordialis.* Virtutes superioribus semitis in hanc quintam semitam delatæ, & radicatæ, æqualesque fuerunt, quando ab hac semita in inferiores deducuntur, transeunt, & mutantur pro varijs homi-

hominum moribus vel in misericordiam, vel in seueritatem & iudicium; de qua vide Pardes.

6 הנתיב הששי נקרא שכל שפע גבדל ונקרא כן לפי שבו מתרבה שפע האצילות והוא משפיע השפע על כל הבריכות המתאחדות בעצמו :

Sexta semita intelligentia dicitur influentia mediantis, eò quòd in ea multiplicentur influxus emanationum; illa enim facit influere affluentiam istam in omnes benedictionũ piscinas, quæ vniuntur in ipsa. Dicitur hæc semita aquarũ.

7 הנתיב השביעי נקרא שכל נסתר ונקרא כן מפני שהוא זוהר מזהיר לכל הכחות השכליים הנראים בעין השכל וברעיון האמונה :

Septima semita vocatur Intelligentia recondita, eò quòd illa sit splendor refulgens in omnes virtutes intellectuales, quæ oculis intellectus, & fidei contemplatione perspiciuntur. Dicitur abscondita, quia illa non comprehenditur nisi per intelligentias numerationum; & sic distinguitur à prima semita, quòd illa incomprehensibilis sit, hæc comprehensibilis; diciturque semita intellectualium substantiarum.

8 הנתיב השמיני נקרא שכל שלם ונקרא כן מפני שהוא תכונת הקדמות אשר אין לו שורש להתיישב בו כי אם בחדרי הגדולה המאצלים מעצם :

Octaua semita vocatur Intelligentia perfecta & absoluta, eò quòd illa sit apparatus primordialis, quæ non habet radicem, cui inhæreat, nisi in penetralibus Sephiræ, quæ Magnificentia dicitur, emanatque de propria ipsius subsistentia. Dicitur semita viuentium in aquis.

9 הנתיב התשיעי נקרא שכל טהור ונקרא כן לפי שהוא משהר את הספירות ומבחין ומבחיקגזירה הבנותם והוכן אחדותם שהן מיוחדות מבלי קצוץ ופירוד :

Nona semita dicitur Intelligentia munda, eò quòd ipsa mundet numerationes, & probet emendetque exscissionem imaginis earum; disponatq; vnitatem earum, quæ ipsi vniuntur absque detruncatione & diuisione. Dicitur semita emundationis rerum.

10 הנתיב העשירי נקרא שכל מחנוצץ ונקרא כן מפני שהוא מתעלה ויושב על כסא הבינה ומאיר בזוהר המאורות כולם ומשפיע שפע ריבוי לשר הפנים :

Decima semita vocatur Intelligentia resplendens, eò quòd illa super omne caput exaltata sit, & sedeat in sede Binah, illuminetq; fulgorem omnium luminarium, & emanare faciat copiam principi facierum. Dicitur semita varietatis rerum.

11 הנתיב אחד עשר נקרא שכל מצוחצח ונקרא כן מפני שהוא עצם הפרגוד המסודר בסדר המערכה והוא יחס הנתנה לעמוד בפני עילה העילות :

Vndecima semita, Intelligentia dicitur fulgida, eò quòd ipsa est cortina ordinata iuxta dispositiones & ordinem semitarum superiorum & inferiorum, & est dignitas quædam data ipsi, vt stet coram facie causæ causarum.

12 הנתיב שנים עשר נקרא שכל באיר מפני שהוא עצם האופן הגדולה הנקרא הזהות פי׳ מקום מוצא הזיון החזונים במראה :

Duodecima semita dicitur Intelligentia claritatis, eò quòd ipsa species sit magnificentiæ, locusque dicitur, de quo oritur visio videntium in apparitione. Vnde per eam vaticinium acquiritur, & ad quadrigam summam peruenitur.

13 הנתיב שלשה עשר נקרא שכל מנהיג האחדות מפני שהוא עצם הכבוד והוא השלום אמתת הרוחניים האחדים :

Decima tertia semita dicitur Intelligentia inductiua vnitatis, eò quòd illa sit ipsa substantia gloriæ, & perficiat singulorum spiritualium veritatem. Omnes semitæ, quæ se vnitati supremæ vniunt, vniunt se per hanc decimam tertiam semitam. Nam אחד in numerum resolutum dat 13.

14 הנתיב ארבעה עשר נקרא שכל מאיר מפני שהוא עצם החשמל וחמורה על רזי יסודות הקדש וחבוגתם :

Decima quarta semita dicitur Intelligentia illuminans, eo quod illa est Chasmal, institutrix arcanorum, & fundamentorum sanctitatis, & apparatus eorum. Dicitur semita arcanorum in rebus creatis inexistentium.

15 הנתיב החמשה עשר נקרא שכל מעמיד ונקרא כן מפני שהוא מעמיד עצם הבריאה כערפלי שחור ובעלי חעיון אמרו כי הוא הערפל וחור וערפל חתולחו :

Decima quinta semita dicitur Intelligentia constitutiua, eò quòd ipsa constituat creationem in caligine mundi, & Philosophi dixerunt quòd illa ipsa sit caligo, de qua scriptura loquitur Iob 38. Et caligo inuolucrum eius. Dicitur & semita apertionis luminum.

16 הנתיב ששה עשר נקרא שכל נצחי ונקרא כן מפני שהוא עדון הכבוד שאין כבוד למטה הימנה כמו שהוא שם רחוא הנקרא גן עדן חמוכן לחסדים :

Decima sexta semita dicitur Intelligentia triumphans & æterna, eò quòd illa est voluptas gloriæ, quæ ipsi similis sit, & vocatur paradisus voluptatis, qui paratus est iustis. Dicitur & semita victoriæ contra genios malos.

17 הנתיב שבעה עשר נקרא שכל החרגש והוא מוכן לחסידי האמונה להתלבשא בו ברוח קדושה והוא נקרא יסוד התפארת במעמד העליונים :

Decima septima semita dicitur Intelligentia dispositiua, quæ aptat pys fidelitatem, vt per eam induantur Spiritu sancto, diciturq; fundamentum pulchritudinis in statu superiorum. Et præest omnibus formis superioribus & inferioribus.

18 הנתיב שמנה עשר נקרא שכל בית השפע ומחוך חקירותו מושכים רז וחירת המחלוננים בצלו והדבקים בחקירות ממשותו מעילת העילות :

Decima octaua semita dicitur Intelligentia siue domus affluentiæ, eò quòd de medio scrutationis eius trahuntur arcana, & abditi sensus, qui latent in vmbra eius, & qui adhærent scrutinio ipseitatis eius de causa causarum.

19 הנתיב תשעה עשר נקרא שכל סוד הפעולות הרוחניות כולם מפני שהוא משפע המתפשט בו מהברכה העליונה והכבוד המעולה :

Decima nona semita dicitur intelligentia secreti, vel omnium actuitatum spiritualium, eò quòd affluentia sit, quæ diffunditur in eam de benedictione altissima, & gloria sublimi seu excelsa.* Est semita affluentiæ in omnes numerationes.

* vel piscina

20 הנתיב העשרים נקרא שכל הרצון מפני שהוא תכונת כל היצורים כולם ובזה השכל יהיה כל מציאות החכמה הקדומה :

Vigesima semita dicitur Intelligentia voluntatis, eò quòd illa est apparatus omnium & singulorum creatorum, & per hanc innotescit existentia sapientiæ primordialis. Est semita arcanorum sapientiæ.

21 הנתיב אחד ועשרים נקרא שכל החפץ המבוקש מפני שהוא מקבל שפע האלהות כדי להשפיע מברכת לכל הנמצאים כולם :

Vigesima prima semita dicitur Intelligentia complacentiæ quæsitæ, eò quòd illa

illa accipit influentiam diuinam, vt influat de benedictione eius in omnia & singula existentia.*

* l. piscina

22 הנתיב שנים ועשרים נקרא שכל נאמן מפני שבו מחרבים כחות הרוחניות כדי להיותם קרובים לכל המחלוננים בצילו :

Vigesima secunda semita dicitur Intelligentia fidelis, eò quòd in manu eius commendatæ sunt virtutes spirituales, & fouentur per eam, vt propè adsint habitantibus sub vmbra eius.

23 הנתיב שלשה ועשרים נקרא שכל קיים מפני שהוא כחקיום לכל המציאות :

Vigesima tertia semita dicitur Intelligentia stabilita, eò quòd illa sit virtus consistentiæ omnibus numerationibus.

24 הנתיב ארבעה ועשרים נקרא שכל דמיוני מפני שהוא נותן דמות לכל הדמיונים נבראים :

Vigesima quarta semita dicitur intelligentia imaginatiua, eò quòd illa det similitudinem omnibus similitudinibus creatorum.

25 הנתיב חמשה ועשרים נקרא שכל נסיוני מפני שהוא הנסיון הקדמון שבו מנסה חבורא לכל החסידים :

Vigesima quinta semita dicitur Intelligentia tentatiua; eò quòd illa sit tentatio primaria, quâ Deus tentat omnes pios.

26 הנתיב ששה ועשרים נקרא שכל מחודש מפני שה"קב"ה מחדש בו כל החדשים בבריאת העולם :

Vigesima sexta semita dicitur Intelligentia renouans, eò quòd per illam omnia, quæ in creatione Mundi renouata fuerunt, renouet.

27 הנתיב שבעה ועשרים נקרא שכל מורגש והוא חומר מפני שממנו נבראו כל הנבראים מתחת גלגל העליון והרגשותם :

Vigesima septima semita dicitur intelligentia concitatiua, & est materia, de qua creata sunt omnia producta sub orbe supremo, & motus eorum.

28 הנתיב שמנה ועשרים נקרא שכל מוטבע מפני שבו נשלם טבע כל הנמצאים מתחת גלגל החמה בשלימות :

Vigesima octaua semita dicitur Intelligentia naturalis, eò quòd per eam perfecta est natura omnis existentis sub orbe Solis in perfectione.

29 הנתיב השעה ועשרים נקרא שכל מוגשם מפני שהוא מתאר כל גשם שיתגשם תחת תכונת הגלגלים בגידולים :

Vigesima nona semita dicitur intelligentia corporalis, eò quòd illa formet omne corpus, quod corporatur sub apparatu omnium orbium, & incrementum eorum.

30 נתיב שלשים נקרא שכל כללי מפני שבו כוללים הוברי שמים במשפטיהם הכבבים והמזלות עיונם תשלומי ידיעתם באופני גלגלים :

Trigesima semita dicitur Intelligentia collectiua, eò quòd colligant ex ea Astrologi iudicio stellarum & signorum cœlestium speculationes suas; & perfectiones scientiæ suæ iuxta rationem volutionum eorum.

31 נתיב אחד ושלשים נקרא שכל כללי מפני שהוא כלל כחות כל הגלגלים ומזלות והצורות ומשפטיהם :

Trigesima prima semita dicitur Intelligentia collectiua pariter, quâ comprehendit omnes virtutes orbium & signorum cœlestium, & formas seu imagines, & rationes seu iudicia eorum.

נחיב שנים השלשים נקרא שכל נעבד מפני שהוא מתוקן לכל המשתמשים בעבודת שבעה כוכבי לכת לחבלם :

Trigesima secunda semita dicitur intelligentia adminicularis, eò quòd dirigat & concurrat ad omnes operationes septem planetarum, & ad partes eorum.

Atque hæ sunt triginta duæ semitæ sapientiæ, quæ à sapientia suprema procedunt, & actuantur à *Binah*, hoc est, *intelligentia*. Dicuntur autem Intelligentiæ, eò quòd studiosum in lege dirigant, illuminent, inflamment, instruant, ad Deum in omnibus latentem quærendum, amandum, & in ordine ad vnionem cum Deo, adhæsionemque dilecti, in quo tota felicitas hominis consistit, procurandam. Vsus harum semitarum practicus hic est. Cabalistæ cùm Deum per certam aliquam naturalium rerum semitam inuestigare volunt; primò summo studio & præparatione præmissa, triginta duo loca primi capitis Geneseos, hoc est, semitas rerum creatarum consulunt; deinde certis orationibus adhibitis per nomen אלהים Deum obrestantur, vt lumen propositæ semitæ inuestigandæ congruum largiatur, varijsque adhibitis cœrimonijs tandem sibi persuadent, intelligentiæ se lumen adeptos, dummodo corde mundo, fide inconcussa, & charitate ardenti inquisitioni institerint. Atque vt instans oratio maiorem efficaciam habeat, vtplurimùm nomine quadraginta duarum literarum, non sine superstitione, quæ nunquam abest, vtuntur; quòd vt ex primo & vltimo legis versu extractum fuit, ita summam quoque & ineffabilem efficaciam ad id, quod per illud postulant, obtinendum, habere arbitrantur. Lector, si placet, consulat paragraphum tertium de nomine Dei 42 literarum, ex quo meliorem huius loci intelligentiam acquiret. De modo verò illud pronunciandi, vide infrà fusiùs tractatum.

Semitæ 32 cur dicantur Intelligentiæ

Semitarũ 32 vsus practicus

§ VI.

De quinquaginta portis Intelligentiæ.

QVemadmodum triginta duæ semitæ ex Sapientia egressæ in omnem rerum creatarum ambitum se diffundunt, ita à *Binah* siue *Intelligentia*, quam Spiritum sanctum diximus, ad dictas semitas continuò quinquaginta portæ aperiuntur, quod est, triginta duas semitas Sapientiæ & Potentiæ ducere in actum. Portæ dicuntur, quia nemo ad perfectam dictarum semitarum notitiam peruenire potest iuxta Cabalistas, nisi priùs per has portas ingressus fuerit. Quarum cognitionem primus Moyses tradidisse posteris creditur, earumque omnium præter vnius intelligentiam habuisse. ita in porta lucis R. Ioseph Castiliensis.

Portæ 50 quid, & cur ita dicuntur.

R. Ioseph Castiliensis.

אמרו רבותינו חשמים שערי בינה נבראו בעולם וכולם נמסרו למשה חוץ מאחד שנמארותחסרהו מעט מאלהים:

Dixerunt Rabbini nostri, quinquaginta portæ creatæ sunt in mundo, & omnes præter vnam traditæ sunt Moysi, secundùm quod scriptum est, Minuisti eum paulò minùs

minùs à Dijs, id est, ab Angelis. Et Rambam in Genes. exordio ait, omne quod Mosi per portas intelligentiæ traditum est, continetur in lege diuina, *vel sensu literali, vel allegorico per dictiones, vel Arithmeticas supputationes, vel geometricas literarum figuras, siue descriptas, siue transmutatas, vel harmonicæ consonantias ex formis characterum, coniunctionibus, separationibus, tortuositate, directione, defectu, super abundantiâ, minoritate, maioritate, coronatione, clausura, apertura, & ordine resultantes.* Per hanc quoque legem, aiunt Cabalistæ, à diuino spiritu adeptus est Salomon Rex sapientissimus omne quod nouerat, iuxta illud lib. Reg. *Dedit autem ei Deus sapientiam & prudentiam multam nimis, quasi arenam, quæ est in littore maris; & creuit sapientia Salomonis supra sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, eratq; sapientior cunctis hominibus, & disputauit super lignis à Cedro quæ est in Libano vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete; & disseruit de volucribus, & reptilibus, & piscibus.* Aperuit itaque spiritus siue intelligentia Salomonis quinquaginta totius naturæ portas præter vnam omnes, ad triginta duas semitas sapientiæ, quæ sunt semitæ ad quadrigam diuinitatis, rerumque altissimarum, incomprehensibiliumque mysteria dirigentes. Sed iam videamus, quænam illæ sint portæ.

Pardes primò totum rerum complexum diuidit in portas quinque principalissimas, suntque prima & infima, elementa; secunda, mista ex elementis constituta; tertia, animarum Mundus; quarta, corporum cœlestium systema; quinta, Mundi archetypi siue intellectualis constitutio: Quarum singulæ in decem alias Classes siue particulares portas diuisæ numerum dant quinquaginta portarum, id est, decem hi tam essentiarum, quàm intelligentiarum Mundi per 5 multiplicati 50 ianuas aperiunt, per quas intramus in illa creaturarum penetralia, quæ eminentibus notis in opere sex dierum designantur. Innuit totum hoc quinquaginta portarum negotium Picus Mirandulanus ænigmaticâ hâc conclusione. *Qui sciuerit, quid sit denarius in Arithmetica formali, & cognouerit naturam primi numeri sphærici, id est, 5, sciet secretum 50 portarum intelligentiæ, & magni Iubilæi, & millesimæ generationis, & regnum omnium seculorum.* per denarium circularem numerum hoc loco intelligitur tota rerum vniuersitas; per numerum primum sphœricum intelligitur quinarius, qui numerus pariter circularis & cubicus est: si enim tam 10, quam 5 quadraueris, aut cubicaueris in infinitum, semper in fine remanebit radicalis, id est, vel 0, vel 5. vti in præcedentibus demonstratum est. Cabalistæ præsenti schemate mysterium describunt. Fiat circulus in quo ducantur quinque diametri seu lineæ in centro se intersecantes, & in terminis earum ponantur numeri ab vno ad nouem, vt sequitur. Semper numeri vni diametro adscripti simul iuncti, velut 1 ad 9. 2 ad 8. 3 ad 7. 4 ad 6. 5 ad 5. conficient 10. ita quidem, vt quina-

Pardes. Portæ quinque principalissimę quę

Subdiuiduntur singulæ in alias decem minus principales.

Picus Mirandulanus.



quinarius medium ſemper obtineat denariæ reuolutionis. Quinario itaque per 10 multiplicato exſurget numerus 50 portarum intelligentiæ, ſeu anni Iubilæi; ſi verò decem cubicaueris, naſcetur milleſimus generationis, & ſic eodem in infinitum cubicato, naſcetur infinitudo, magnum illud Sabbathum Sabbathorum, quod eſt regnum omnium ſeculorum, quod & à Cabaliſtis Enſuph dicitur, & eſt Deitas ipſa ſine indumento; reliqua enim Deus produxit amictus lumine ſicuti veſtimento, vt eſſet lumen de lumine, ac inde veſtimenti ſui lumine creauit Mundum intelligibilem, ſpirituum ſeparatorum & inuiſibilium, quod Cabaliſtæ cœlum vocant. Vnde R. Eliezer, cùm interrogaretur, vnde creatum eſſet cœlum, reſpondit: מאורלבושו לקח, id eſt, *de lumine veſtimenti ſui ſumpſit*. Atq; hucuſque aſcendit Moſes ad Deum, vt cognoſceret lumen veſtimenti eius, & Sabbathum Sabbathorum, & Iubilæum ſuperius, & milleſimam generationem; quod totum nihil aliud eſt, quàm Mundus ſuperior idearum, Angelorum, felicium animorum. Cùm itaque Moſes Deum ſine veſtimento, id eſt, reconditam diuinitatis faciem videre nequiuerit, rectè dicitur, iuxta R. Eliezerum, ad vltimam 50 portarum pertingere non valuiſſe, iuxta illud; *Faciem meam videre non poteris*; quod ita exponunt Cabalici:

R. Eliezer.

אקרא לפניך השם הגדולש שלא תוכל לראתו:

Id eſt, *Vocabo coram te nomen magnum, quod non poteris videre*. ita Rambam in 33 Exodi. Quo ſanè luculenter apparet, Deum iuxta citatum Authorem, eſſe ſuum tetragrammaton, & à Moſe non fuiſſe viſum. Eſt enim hoc omnium portarum principium ſuper omnem creaturam ante creationis exordium, iuxta illud Onkelos: ברא יי׳ שמיא וית ארעא, *Creauit Deus tetragrammatus cœlum & terram*; Nam vt ſuprà citatus Eliezer dicit:

Rambam.

Onkelos.

עד שלא היה העולם היה הקב"ה ושמו בלבד:

Id eſt, *Vſquequo non fuit creatus Mundus, fuit Deus, & nomen eius tantùm*. Et Rambam 29 libro Moreh:

R. Akiba.

תחילה שלא היה שום דבר נמצא בלל אלא השם וחכמתו:

Id eſt, *Ab initio cùm non eſſet vlla res, ſolus Deus erat nomen tetragrammaton, & ſapientia eius*. Moſes itaque 49 ſolummodò portarum notitiam habuit, & per eas legem diuinam inueſtigauit, ad quinquageſimam minimè permiſſus; Ioſue verò 48 tantùm notitiam habuit, vnius minùs Moſe iuxta R. Akiba. *Et poſt mortem Moſis abſcondita fuit Ioſue porta vna, & relictæ fuerunt quadraginta octo, & Salomon laborauit ſuper illa porta ad reducendam eam, ſed non poterat*; non itaque Ioſue tantum valuit aſcendere, quantum Moſes, ideò vno gradu eo fuit inferior. Sed iàm quales illæ portæ ſint, videamus. Diximus ſuprà, portas in quinque principaliſſimas Claſſes diuidi, earumque vnamquamq; in decem particulares portas diſtribui; has nunc ordine explicemus.

Pri-

Prima Claſsis.

Elementorum primordia.

עולם היסודות:

Porta 1 & infima. Materia prima, Hyle, Chaos תוהו.
2 Vacuum & inane, id eſt, formarum priuatio.
3 Appetitus naturalis, abyſſus.
4 Elementorum diſcretio & rudimenta.
5 Terrenum elementum nullis adhuc ſeminibus infectum.
6 Aquæ elementum operiens terram.
7 Aëris ex aquarum abyſſo exhalantis elementum.
8 Ignis elementum fouens & animans.
9 Qualitatum ſymbolizatio.
10 Appetitus earundem ad commiſtionem.

Claſsis ſecunda.

Miſtorum Decas.

Porta 11 Mineralium, terrâ diſcoopertâ, apparitio.
12 Flores & ſucci ad metallorum generationem ordinati.
13 Mare, lacus, fluuina intra alueos ſecreta.
14 Herbarum, arborumque, id eſt, vegetatiuæ naturæ productio.
15 Vires & ſemina ſingulis indita.
16 Senſitiuæ naturæ productio, id eſt,
17 Inſectorum & Reptilium,
18 Aquatilium, } vnà cum proprietatibus eorundem.
19 Volucrium,
20 Quadrupedum procreatio.

Claſsis Tertia.

Humanæ Naturæ Decas.

עולם קטן, *id eſt*, Microcosmos, *Mundus minor*.

Porta 21 בריאת האדם, Hominis productio.
22 עבר מן האדמה, Limus terræ damaſcenæ materia.
23 הנשמה ונפש, Spiraculum vitæ anima, ſiue
24 סוד האדם והוה, Adami & Euæ myſterium.

25 האדם כלבו, Homo omnia, microcosmus.
26 חמשה כחות חגשם, Quinque potentiæ exteriores.
27 חמשה כחות הנפש, Quinque potentiæ interiores.
28 האדם הוא שמים, Homo Cœlum.
29 האדם הוא מלאך, Homo Angelus.
30 האדם הוא דמות האלהים, Homo Dei imago & similitudo.

Classis Quarta.

Continet Cœlorum Ordines, & vocantur ab Hebræis

עולם הגלגלים, *id est, Mundus sphærarum; quæ sunt*

Porta 31	הלבנה		Cœlum Lunæ.
32	הכוכב		Cœlum Mercurij.
33	הנוגה		Cœlum Veneris.
34	החמה		Cœlum Solis.
35	מאדים	הגלגל	Cœlum Martis.
36	צדק		Cœlum Iouis.
37	שבטאי		Cœlum Saturni.
38	הרקיע		Cœlum firmamenti.
39	גלגל ראשון		Primum mobile.
40	גלגל הגלגלים		Cœlum Empyreum.

Classis Quinta.

Nouem Angelorum Ordines continet, & vocatur

עולם המלאכים, *id est, Mundus Angelicus, vt sequitur*

Porta 41 חיות הקודש, Animalia sancta, Seraphini.
42 אופנים, Ophanim, id est, Rotæ, Cherubini.
43 אראלים, Angeli magni fortes, Throni.
44 חשמלים, Halchemalim, id est, Dominationes.
45 שרפים, Seraphim, id est, Virtutes.
46 מלאכים, Malachim, id est, Potestates.
47 אלהים, Elohim, id est, Principatus.
48 בני אלהים, Ben Elohim, id est, Archangeli.
49 כרובים, Cherubin, id est, Angeli.

Clas-

Classis Sexta.

אין סוף, *Deus immensus.*

עולם עליון, *Mundus supramundanus & Archetypus.*

Porta 50 Deus Optimus Maximus, quem mortalis homo non vidit, nec vllo mentis scrutinio penetrauit, estque quinquagesima porta, ad quam Moyses non pertigit.

Hanc solus Deus homo Christus IESVS verus Messias penetrauit; suisque electis eam viam monstrauit per lumen fidei, iuxta illud: *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium*; & illud: *Ambulabunt gentes in lumine tuo.* Atque hæ sunt quinquaginta portæ, per quas ab Intelligentia seu Spiritu sancto aditus paratur ad triginta duas semitas sapientiæ sedulo & indefesso legis scrutatori.

§ VII.

De Potestatibus triginta dextris mensuram Gedulah stipantibus, & de totidem sinistris Geburah stipantibus; deque nomine septuaginta duarum literarum, & triginta duarum semitarum Sapientiæ. omnia ex mente Hebræorum.

EXpositis in præcedentibus paragraphis quinquaginta portarum Intelligentiæ, quæ à tribus supremis Sephiroth procedunt, mysterijs; iam septem inferiores Sephiroth, quæ sunt מעשה בראשת, *opus fabricæ*, cum singulis earum proprietatibus pari passu exponamus.

In systemate Sephirotico tres ponuntur canales, primus à *Gedulah*, siue *Chesed*, id est, *magnificentia* seu *misericordia*, ad *Geburah* siue *fortitudinem seueritatemque* deducitur; alter ad *Thiphereth* siue *pulchritudinem*; tertius ad *Netsah*; totidem quoque à *Geburah* ad *Gedulah*, ad *Tiphereth*, & ad *Hod* deducuntur; à *Chesed* ad *Geburam* reciprocus canalis misericordiæ & iustitiæ ducitur, & vt Rasbi asserit, se habent vt ignis & aqua.

שלשה צנורות יוצאים מהחסד ואחד מהם אל גבורה
וכן מהגבורה יוצא כח אל החסד אש של גבורה ליבש
לחום המים של חסד ומים של חסד לכבות אש הגבורה
ועי' הצינור הזה נכללים חסד בגבורה וגבורה בחסד:

Id est, *Tres canales seu fistulæ egrediuntur ex Chesed, id est, mensura misericordiæ, & primus ex illis deducitur ad Geburah mensuram seueritatis, & pariter à Gebura seu à seueritatis mensura ad mensuram misericordiæ egreditur virtus, id est, ignis, quem seueritatis mensura notat, vt exsiccet humidum aquarum, quæ appro-*

appropriantur mensuræ Chesed, id est, misericordiæ; & aquæ, quæ appropriantur mensuræ Chesed, id est, misericordiæ, vt extinguant ignem Geburah siue seueritatis. Si enim sola misericordia Dei foret, Mundus peccatorum iniquitatibus subuerteretur; & si sola iustitia seu seueritas Dei, idem contingeret; hinc secundus canalis vtriusque & *Gedulah* & *Geburah* ad *Tiphereth*, id est, *pulchritudinem & clementiam* deducitur, quæ est temperies quædam, siue harmonicum quoddam temperamentum, quo misericordia iustitiæ, & hæc misericordiæ aptè, ad Mundi integritatem & subsistentiam temperantur; atque hæ sunt duæ columnæ, quæ Moysen sub forma nubis & ignis præcedebant in exitu. Quæ omnia Simeon Ben Iochai pulchrè his verbis latinè redditis describit: *Et quoniam per columnam gratiæ vel misericordiæ Mundus non poterat gubernari, ideo necesse fuit, vt emanare faceret post columnam gratiæ vel misericordiæ columnam fortitudinis seu seueritatis, quæ & iudicium significat; cùm verò neutrâ harum duarum columnarum Mundus gubernari posset, sed opus esset proprietate seu mensura, quæ exprimeret intermedium, ideo emanare fecit proprietatem seu mensuram Tiphereth, hoc est, pulchritudinis, quæ est mensura media inter duas, ita vt faceret reconciliationem inter gratiam seu misericordiam, & fortitudinem seu seueritatem, easque ad concordiam reuocaret; quoniam verò ex parte fortitudinis seu seueritatis datur pœna pro peccatis, quæ quis peccauerit iuxta normam iudicij; Hinc Canalis tertius, qui ex Chesed ad Netsah, id est, à misericordia ad victoriam ducitur, affixa sibi habet præcepta affirmatiua, & canalis à Geburah sine seueritate ad Hod secum trahit præcepta negatiua;* quæ postea ampliùs explicabuntur. Præterea canales dicti *Gedulæ* & *Geburæ* in *Tiphereth* ducti, ad Mundi temperamentum secum trahunt vtrinque triginta quinque Principes misericordiæ dexteros siue remuneratores, seueritas totidem sinistros castigatores, quæ coniuncta constituunt septuaginta præsides totius Mundi, quæ annumeratæ binis mensuris vnde profluxerunt, constituunt septuaginta duos Angelos ex tribus versibus 14 Exodi extractos, vti suprà in § de septuaginta duarum literarum nomine ostendimus. Numerus autem virtutũ pertingit secundùm Cabalicos ad 216; quarum 72 sinistræ, 72 mediæ, 72 dexteræ. quod quomodo intelligendum, aperiamus.

R. Simeon Ben Iochai.

216 Potestates in 3 ordines hebdadas contradyadicos diuisæ.

Docuimus suprà ex 3 Exodi versibus, qui incipiunt: ויסע ויבא ויט, tres series constitui, quarum vnaquæque septuaginta duas literas continet; & ויסע primus versus respondet septuaginta duabus potestatibus dexteris, secundus versus ויבא septuaginta duabus medijs, & ויט tertius versus, 72 sinistris competit potestatibus, quæ simul iuncta dant 216, numerum potestatum, quibus tres canales *Gedulæ*, *Geburæ* in *Tiphereth* stipati sunt quarum sinistræ pœnas infligunt præuaricantibus; dexteræ præmia largiuntur obseruantibus legem; mediæ excessum pœnarum præmiorumque iuxta ratam proportionem temperant. Atque hinc arcanum emanauit, quòd medius versus ויבא non recto, sed retrogrado ordine collocetur, adeoque tres quælibet literæ correspondentes nomen Angeli siue potestatis conficiant mediatricis, quæque iustitiam cum misericordia quadamtenus conciliet. Sed audiamus Authorem Pardes.

עוד מהצינור הזה נמשכים גם ע׳ כחות המצטרפים אל ע׳ כנודע שהם ר״ו אותיות ע׳ דימין וע׳ דשמאל וע׳ אמצעיים התפארת הוא המוצאים מן הכח אל הפועל ומכריעם לימין: וכן על ידי הצינור הוא ענין ההכרעה בצירוף אותו של גבורה

Pardes.

Id est; *Iterum Canalis hic trahit secum septuaginta duas potestates comparatas ad 72 nomina, sicuti notum est, & sunt 216 literæ, septuaginta duæ ex ijs sinistræ, septuaginta duæ mediæ, & est Tiphereth, quæ eas educit ex potentia in actum, quæ ligantur à septuaginta duabus dexteris, & sic ope canalis huius fit præponderatio ratione Geburæ.* Sic Pardes. Sed hæc de duarum *Geburæ* & *Gedulæ* mensurarum satellitio sufficiant.

§ VIII.

De præceptis affirmatiuis & negatiuis, quæ annexa sunt canalibus Sephiroth Gedulæ & Geburæ ad Netsah & Hod, ex mente Hebræorum.

CAnalis, qui à mensura *Gedula* siue *Chesed*, scilicet *misericordiæ* ad *Netsah*, hoc est, *victoriam* rectè & normaliter tendit, vt & canalis oppositus à *Geburah* siue *Pechad*, hoc est, *seueritate* & *timore* ad *Hod*, id est, *gloriam* tendit, annexa habent præcepta legis, ille affirmatiua, hic negatiua. Affirmatiua apud Rabbinos vocantur תעשה, *facies*; negatiua לא תעשה *non facies*. Hinc aptè canales à *Geburah* ad *Hod*, & ab *Chesed* ad *Netsah* ducuntur, vt indicaretur, facientibus legem, beneuolas esse dextras potestates à misericordia originem habentes; non facientibus, sinistros vindictam minari, & de præuaricantibus pœnas & supplicia sumere, idque vt sicuti *Hod*, id est, *gloria* Dei in iustitia sua demonstratur, ita seruantibus legem victoria & æternitas, quæ per *Netsah*, cuius canalis ab *Chesed* deducitur, spondentur; & sic misericordia Dei in victoria, quam zelantibus legem contra sinistras potestates pollicetur, ostenditur. Verùm vt arcanum præceptorum luculentiùs patefiat;

Præcepta affirmatiua & negatiua quomodo vocentur apud Rabbinos.

Notandum, præcepta vniuersæ legis numerari 613. Colliguntque hæc eadem ex Decalogo, quæ tot literas habet, quot præcepta in lege numerantur; vnde & totum legum complexum תריג *Tharig* vocant, qui nihil aliud est, quàm numerus dictorum præceptorum 613, vt in margine patet. Diuiduntur autem omnia præcepta partim in affirmatiua, partim in negatiua; siue in facies, & non facies, vti dictum est. Affirmatiua sunt 248, tot videlicet, quot in corpore humano ossa sunt, atque adeo רמח *Ramach* vocantur, vocabulo numerum 248 continente. Negatiua sunt 365. à vocabulo שסה *Schasah* hunc eundem numerum continente dicta, suntque tot, quot in vno anno Solari dies sunt, videlicet 365; quæ fusè Cabalistæ describunt. Et membra 248 humani corporis, quæ affir-

Præcepta omnia Legis sunt 613.

ת	400
ר	200
י	10
ג	3
	613

Affirmatiua sunt 248, quot sunt in corpore humano ossa.

Negatiua 365 quot sc. dies in anno.

Membra 248 humani corporis quæ.

matiuis præceptis respondent, hoc pacto diuidunt. Triginta ossa in extremis digitis pedis (nempe sex in vnoquoq; digito pedis;) decem בקורסל *in talo*; duo בשוק, *in crure*; quinque בארכובה, *in genu*; vnum בירך, *in femore*; tria בקוליות, *in coxis*; triginta ביד, *in manu* (sex scilicet in vnoquoque digito) duo בקנה, *in canna*; duo בגמד, *in cubito*; vnum בזרוע, *in brachio*, siue lacerto; quatuor בכתף, *in scapula*; vndecim בצלעות, *costæ*.

101 vn. later.
101 alt. later.
58
9
8
6
5
248

Ecce centum & vnum ab vno latere, totidem ab altero faciunt 202. præterea octodecim חולות, *vertebræ in spina dorsi*; nouem בראש, *in capite*; octo בצואר, *in collo*; sex במפתחי הלב, *in apertura cordis*, id est, *thorace*; quinque בנקבין, *in cauitatibus suis*. Sic habes 248. Iudicent porrò anatomiæ periti de hac Iudaica anatomia, quam decerpsimus ex libro intitulato עבקת רכל, id est, *puluis pigmentarij*, *part.* 2.

De præceptis negatiuis, quæ sunt 365, tot scilicet, quot dies in anno solari, ita legitur in tractatu מכת *Makoth*, id est, *plagarum* c. 3. fol. 145.

תר"יג מצות נתנו למשה בסיני שס"ה מצות לא תעשה כמנין ימות החמה ור"מ מצות כנגד אברין של אדם:

Tharig, id est, 613 *præcepta data fuerunt Mosi in Sinai*; 365 *negatiua, iuxta numerum dierum solarium*; 248 *affirmatiua iuxta membra hominis*. Ad hanc traditionem R. Salomonis Glossa est: *Præcepta* 248 *facienda sunt, quia vnicuique membro dicitur, fac & serua præceptum*; 365 *præcepta non facienda sunt, quia vnoquoque die monentur homines, ne transgrediantur os Domini*. Verùm quid per mysteriosam hanc descriptionē indicare velint, aperiam.

R. Salomon.

Legem Dei æternam & immutabilem, veluti archetypon quoddam & ideam ex mandatorum lege, tanquam ex vmbrosa quadam imagine, conijcimus; cùm verò susceptor legis homo, paruus Mundus, ad Vniuersi habitum, atque ad imaginem & similitudinem Dei factus sit, salus & perfectio eius iure veluti quodam postulare videbantur, vt magnum Mundum & Conditorem suum facto opereque referret atq; imitaretur: imitaturus autem eū non erat, nisi lege conformi & simili illi legi, quâ regitur Orbis, & Microcosmi œconomia, per membrorum diuersorum, diuersarumque operationum in vnum scopum & finem, quæ est conseruatio hominis, tendentium legem, actus suos moderaretur. Quemadmodum igitur ex recta membrorum humani corporis, quæ legis diuinæ symbola sunt, constitutione totum corpus se habere debet, sic ex legum obseruatione tota anima rectè se habens, sanitatem, vitam, pacem, & Deo placitam perfectionem consequitur. Contrà si vel vnicum ex 248 humani corporis defloretur, deficiat, hiet, malè habeat, totum corpus languet, & in operationibus suis deficit. Pari passu, si anima vel vnicum in lege præceptum transgrediatur, præuaricationis omnium, vt Apostolus dicit, rea efficitur. Sunt itaque humani corporis membrorum virtutes & operationes ad 248 præcepta affirmatiua, quibus tota lex veluti totidem articulis nectitur, prorsus analogæ. Hinc diuinâ quâdam dispositione factum est, vt nomen אברהם Abraham κατ' ἐλλειψιν resolutum, numerum præceptorum 248 contineret: cùm enim omnium credentium pater esset futurus,

Præceptorū numerus in nomine Abraham.

א	1
ב	2
ר	200
ה	5
ם	40
אברהם	248

turus, meritò cùm Deus veluti exemplar & ideam quandam esse voluit obseruantiam, præceptorum. Hinc ad eum vox Dei iubentis eum, hortantisq; ad perfectionem; *Ambula coram me, & esto perfectus*; & alibi; (*Custodiuit Abraham præcepta & mandata mea & statuta mea, totamq; legem seruauit*. Meritò itaque in nomine legis tenebat scopum, in quem tanto studio collimabat.

Præcepta cur ossibus humani corporis comparantur

Sed cur ossibus comparantur præcepta? respondeo, quòd sicuti ossa humanæ compaginis consistentia est, sic præcepta affirmatiua animæ; neque enim spiritus Dei corpus intrat nisi ossa ad ossa accesserint, vnumquodque ad iunctuam, vti habetur in Ezechielis visione: quicunque enim perfectè præcepta hæc obseruarit, is canales superiorum influxuum omnes sibi aperiet; contrà qui ab obseruantia eorundem defecerit, quid aliud agit, nisi vt canales & fistulas Sephirothicarum emanationum claudat, obstruat, plantasque diuinæ arboris detruncet? Hinc diuina bonitas 248 præceptis affirmatiuis, tot negatiua adiunxit, quot dies in anno, id est, 365, vt hoc ipso indicaretur, homini iusto, & coram Deo in simplicitate ambulanti nullum diem transire debere sine diuinorū mandatorum contemplatione, iuxta illud: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*; & illud: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore*; quò & Psalmus 118. toties collimat. Sicuti enim Sol 365. dierum spacio circulum conficiens, mundum omnium bonorum vbertate complet, ita anima mandatorum diuinorum circulum conficiens, omnium bonorum vbertate expletur, qui est finis totius legis. sed ad canales reuertamur.

Tiphereth per duos Canales influit in *Netsah*, in *Iesod*, & in *Hod*: & quemadmodum tres supremæ Sephiroth coniunguntur in *Kether*; ita duæ *Gedulah*, & *Geburah* in *Tiphereth*; sicq; *Netsach* & *Hod* in *Iesod*, id est, *fundamento*, quod est fons aquarum viuentium; Deus viuus אלוה; ab omnibus enim reliquis gratiam haurit & vitam, quam in *Adonai*, quæ est *Malcuth*, transfundit. In quantum itaq; gratiæ dimensionem suscipit, אל *El*, vocatur; in quantum autem vitam largitur, ה *He viuus* dicitur; cùm vitæ vigorem hinc in *Malcuth* trasfūdit, *Adonai* dicitur, & cuiusuis rei mobilis animam designat, reptilium scilicet in arida, piscium in mari, iumentorum, belluarum, volucrum, hominum, totiusque Cœli ac Stellarum ad singula eorum genera copias demonstrat, supernamque homini assistentem animam mentemque, vt Platonici loquuntur. Omnes itaque mensuræ per tres supremas, & totidem intermedias, & tandem per tres infimas diuersis canalibus per *Iesod* in *Malcuth*, hoc est, *Regnum* deuoluuntur; cuius nomen *Adonai* specie ignis deuorantis vestitum in sublimi solio Altissimi sedens vt Princeps, & totius terrarum Dominus regijs insignibus ornatus, totiusque quadrigæ superiorum inferiorumque accedente quadraginta duarum literarum nomine, solidissimus præses effulget, iuxta illud, *Adonai, Adonenu, Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra*. Hunc enim, vt aiunt, ad superos euehit, illum ad inferos & æterni supplicij barathrū præcipitat; hunc languentem, illum sanū & valentem reddit, prout indicij æquitas exigit superiorū numerationum; à quibus seueritatis, aut misericordiæ clementiæuè nomen accipit;

ibi

ibi enim nihil iniquè flectitur, nihil obliuioni datur; nulla ibi personarum acceptio, sed vt à superioribus haurit, ita in inferiora dispensat. Est enim omnium numerationum penuarium & templum, vtpote in quo modi numerationum reponuntur; potissimùm autem *Tiphereth* siue *pulchritudinis* receptaculum est; huc enim nomine Dei יהוה tetragrammato manuducente, à 13 summitatibus Coronæ summæ, 613 columnæ lucis, quæ sunt 613 legis præcepta, in hoc receptaculum erumpunt, & quasi prodeuntia flumina deriuantur. Deinde de triginta duabus semitis Sapientiæ, & quinquaginta portis Intelligentiæ, de septuaginta duobus pontibus, à summæ misericordiæ aquis proficiscentibus, & de viginti duabus flammei ignis speciebus seueritatis ex supremis mentibus per mediam lucem incedentibus, septuaginta prosiliunt & scaturiunt benedictionum luces, perque viam æternitatis & gloriæ in numeratione *Iesod elchai* iunguntur; & inde in ipsum Regnum seu Coronam inferiorem *Adonai Malcuth* dictam confluunt. Habes breuiter, quid per Sephiroticum systema decem diuinorum nominum indigitent Cabalici; nihil porrò restat, nisi vt typum hucusque dictorum hoc loco exhibeamus; ex cuius sedula inspectione, dictorum veritas, luculentiùs patebit.

§ IX.

Interpretatio schematis Sephirotici, iuxta sensum ab Hebræis intentum.

TAmetsi fusè in præcedentibus Capitulis & Paragraphis significata huius systematis explicauerimus, vt tamen Lector curiosus omnia luculentiùs perspiciat, hoc loco τῷ αὐτοκεφαλαίῳ singula enodabimus.

Primò itaque totum systema constat decem rotis seu circulis, in quorum centro singuli impositum habent vnum ex diuinis nominibus, quorum cognomina suprascripta, exhibent numerum & nomen decem Sephiroth siue numerationum: in circuitu verò rotarum decem Sephiroth descriptæ sunt, singulæ in singulis rotis; quas Author Pardes mobiles circa centrum facit: in vertice omnium sphœra ponitur dimidia parte nigra; quâ indicatur abstracta Dei in fontani luminis inaccessa abysso, nullâ mente comprehensibilis essentia, vti in præcedentibus fusè expositum fuit, vocaturque à Cabalistis Horizon æternitatis, causa causarum, vno verbo *Ensuph*, id est, *infinitudo*, quia ex hac infinita Dei essentia, quasi ex inexhausto fonte omnia ineffabili quâdam ratione profluunt super reliquas tùm tres emanationes supremas, tùm numerationes septem inferiores. Singulæ autem rotæ Sephiroticæ, decem diuinis nominibus sunt insignitæ, quo indicatur, Deum omnia in omnibus, & omnia in Deo vnum quiddam & indiuisibile esse, vt explicabimus.

Explicatio decem Sephirarum. Kether.

Prima Sephira vocatur כתר *Kether, Corona summa*, estque primum emanationis principium, quem Patrem dicimus, cuius in centro inscri-

ptum

ptum nomen est אהיה *Ehieh*, id est, *fui, sum, ero*; insignitur decem in circuitu Sephiroth, quia vti ab ea omnes reliquæ profluunt, ita in idem resoluuntur principium; est enim & *Binah*, & *Chochma*, & *Gedulah* & *Geburah*, & *Tiphereth*, & *Netsah*, & *Hod*, & *Iesed*, & *Malchut*, id est, ipsa *sapientia*, *intelligentia*, *magnitudo*, *fortitudo*, *pulchritudo*, *æternitas* seu *victoria*, *gloria*, *fundamentum*, *Regnum* omnium seculorum, cùm vt ab eo omnia profluunt, ita in eum redeant; estque in reliquis Sephiroth tanquam causa in effectis disparatis. Secunda Sephirah dicitur *Chochma* seu *sapientia*, secunda in diuinis emanatio, quam & Filium seu Verbum dicimus, cuius nomen est יה *Iah*, reliquis decem Sephiroth circum circa insignitum; Cùm enim Filius sit Patri coëssentialis, omnia quæ in Patre sunt, erunt in Filio; & consequenter quemadmodum omnia decem attributa in corona vnum sunt, ita & in Sapientia, quia hæc cum Patre, quoad naturam, vnum est. Idem dicendum est de tertio emanationis principio seu Sephirah, quæ *Binah*, id est, *intelligentia* dicitur; nos Spiritum sanctum dicimus; qui cùm à Patre & Filio æterna procedat origine, & vtrique coëssentialis existat, eadem quoque vtrique communia attributa essentialiter, tanquam vnum cum vtroque, participabit. Atque hæ sunt tres supremæ emanationes, quæ ad mundanæ fabricæ creationem se procingentes, septem nominibus veluti totidem vestimentis indutæ, singula dictis nominibus insigniuntur; quæ quidem dicta sunt ab effectibus, quos in mundana administratione præstant. Vocantur autem *Magnitudo* seu *misericordia*, *Fortitudo* seu *timor*, *Pulchritudo* seu *clementia*, *Æternitas* seu *victoria*, *Honor* siue *gloria*, *Fundamentum*, & *Regnum*. Quæ quidem septem Sephiroth rotas suas habent decem alijs Sephiroth insignitas, vt ostenderetur, quòd vbicunque v. g. *Magnitudo* seu *misericordia* Dei, ibi consequenter omnes reliquæ Sephiroth coëxistant, cùm Magnitudo nec sine Corona, nec sine Sapientia, nec sine Intelligentia, nec sine iustitia, nec sine pulchritudine, nec sine æternitate, nec sine gloria, nec sine fundamento, nec sine regno consistere possit. Idem de reliquis rotis Sephiroticis sentiendum est. Est enim vnus & idem Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui miseretur & castigat, qui sine fine & termino pulcher est, qui viuit & viuere facit omnia, qui glorificat omnia, qui fundat omnia, qui regit & gubernat omnia. Vides igitur cur vnaquæque Sephirah seu numeratio, alias decem eodem circulo inclusas teneat. Mobiles tamen sunt, quia attributa eidem canali quocunque modo applicata, diuersas operationes effectusque in mundo causantur, in quantum ea à malitia vel bonitate vitæ hominum dependent. Si enim singulis canalibus responderint v. g. Misericordiæ Sephirah in omnibus rotis; tunc totus Mundus misericordiâ & beneficentia Dei replebitur; vti factum est in diebus Messiæ: si singulis Sephiroticis canalibus responderit in rotis Sephirah seueritatis, tunc totus Mundus ob peccatorum enormitatem deputatis à diuina iustitia pœnis, malorumque inundationi subiacebit, vt factum est in diebus Diluuij, quibus Deus totum Mundum perdidit. Mistæ verò Sephiroth, mistas in Mundo operationes efficient. Sed de hisce fusè suprà.

Chochma.

Binah.

Septem inferiores Sephiræ.

Mundi quatuor in systemate Sephirotico.

Archetypus.

Angelicus.

Sidereus.

Elementaris

Considerandi porrò sunt in hoc systemate quatuor Mundi; Mundus diuinitatis, in quo ab æterno omnes rerum possibilium impossibiliumque rationes & exemplaria extiterunt, diciturque Mundus Archetypus, & designatur per אין סוף *Ensuph*, & tres supremas emanationes. Secundus Mundus immediatus & proximus Deo, dicitur Mundus Angelicus, in quo secundùm quandam analogiam omnia, quæ in primo Mundo sunt, existunt, in decem classes, quas in præcedentibus contemplare, decupartita; singulæ classes iterum nomen Dei portant, vestitæque sunt 10 Sephiroth, quarum ope & Mundum administrant, & mala vel bona hominibus pro iustitiæ aut misericordiæ ratione infligunt, legis æternæ executores, cui cùm lex scripta Moysis, quæ per 2 tabulas aptè indicatur, analoga sit, hinc eam obseruantibus benignos influxus, malignos eandem præuaricantibus exhibent. Tertius Mundus est, Mundus sidereus, notatus in lege per candelabrum heptalychnum, siue 7 lichnuchis conspicuum, quibus septem planetas indicant, & per tabulam panum propositionis; & per duodecim tigilla quibus panes imponebantur, duodecim signa Zodiaci aptè designabantur; in quorum medio rota *Tipheret*h, hoc est, *pulchritudinis*, siue solis, tum septem planetis, tum duodecim signis Zodiaci vberrimos influxus præstat; quorum virtutes per decem nominum influxus, Angelorum ijs præsidentium ministerio, eam consistentiam acquirunt, qualis fuerit dictarum Sephiroth in ea influxus, vt posteà dicetur. Quartus Mundus est elementaris, & aptè designatur in lege per Aram, vel thuribulum, quod exhalatione sua terræ continuò exhalantis naturam pulchrè exprimit: gubernatur à quatuor Sephiroth, *Netsah*, *Hod*, *Iesod*, & *Malcuth*, quarum prior igni, secunda aëri, tertia aquæ, quarta terræ correspondet: quorum elementorum operationes per Mundi superioris ministros Angelos, mediante Mundo sidereo, disponuntur & administrantur, talesque influxus fortiuntur, qualis fuerit diuinæ legis apud homines, propter quos Mundus creatus fuit, obseruantia: si Mundus impietate exundauerit, ecce Sephirah quæ vocatur *Geburah*, id est, *seueritas* in *Tipheret*h & *Hod* triginta quinque principes vindictæ, & septuaginta duas sinistras potestates immittet, quibus & sidereus Mundus malignis aspectibus imbutus, in elementari Mundo, terræ motus, inundationes, bellorum tumultus, morborum procellas causabunt, vt sic iustè delicta vindicentur; si verò legis obseruantes fuerint, à misericordiæ rota in *Tipheret*h & *Netsah* benigni influxus immittentur, quibus sublunaris Mundus omni benedictione repleatur. Vidimus quadruplicem Mundorum ordinem, iam canales quoque exponamus.

Ponuntur viginti duo Canales in hoc systemate, iuxta numerum viginti duarum literarum Alphabeti Hebraici; nec sine mysterio, vt posteà videbitur. Canales dicuntur, quòd quemadmodum ex fonte ad hortum quendam irrigandum, diuersæ fistulæ ponuntur, vt aquæ ex vna in alteram deriuatæ in totius horti irrigationem seruiant; sic Deus decupartito influxu per viginti duos Canales facto, quatuor memoratos Mundos, atque vna totum creatarum rerum ambitum beat. sic Mundus Archetypus per Canales primum, secundum, tertium, quartum. *Cochma* & *Binah* quinquaginta portas intelligentiæ, ad triginta duas semitas sapientiæ aperit, quibus intromissus diuinæ legis studiosus ad diuinorum influxuum participationem pertingere possit. Per Canales verò quintum & sextum in *Tipheret*h & *Gedulah* deductos *Cochma* seu *sapientia* diuinæ misericordiæ aquas influit; sicut per septimum & octauum pariter in *Tipheret*h & *Geburah* deductos, diuinæ seueritatis ignem influit, illis ad præmium, hisce ad pœnam ex præuaricatione mandatorum. A *Kether* verò omnis boni fonte in *Tipheret*h rectà & normaliter, omnium bonorum vbertatem influit. Quia verò Mundus Deo rebellis subinde existit, hinc à *Geburah* in *Hod* Canalis ducitur, annexa 365 legis præcepta negatiua continens, quibus nisi obediant, alium in *Tipheret*h Canalem ducit triginta quinque principalibus, & septuaginta duabus potestatibus sinistris armatum, quibus vindicta sumitur in omnes legem præuaricantes, per influxus malignos in *Tipheret*h sidereì Mundi animam, vti loquuntur, illatos; contrà ex *Chesed* siue *Misericordia* alij duo canales ducuntur, quorum vndecimus 248 legis præcepta affirmatiua annexa habet; decimus verò 35 principes, & 72 potestates dextras exhibet, qui legis obseruatores contra sinistras potestates defendant, omniumque bonorum vbertate repleant, quod fit affluxus benignitate in *Tipheret*h sidereì Mundi animam, vt Platonici, & Cabalistæ loquuntur. Hinc verò ex *Tipheret*h vtrinque in *Netsah*, *Hod*, & *Iesod* alij canales decimus octauus, decimus nonus, vigesimus, vigesimus primus deducũtur, qui vim sinistrarum vel dexterarum potestatum deriuant per *Tipheret*h in elementarem mundum; qui si benignus fuerit, & à dextris potestatibus profluens, talem quoque in elementarem mundum inferet, potissimùm in *Malcuth*; contrà, si malignus fuerit, fiet. Rotæ itaque dextræ semper benignum quid & beneficum, contrà sinistræ rotæ portendunt; mediæ autem rotæ diuinarum virtutum influxum temperant. Verùm cùm hæc omnia fusissimè explicauerimus in præcedentibus, hæc ad systematis intelligentiam sufficiant.

Porrò cur canales hi ad viginti duas literas accommodati sint, & quid intra se arcanorum clausum contineant, aperiamus.

§ X.

De triade, heptade, & dodecade viginti duarum literarum, quibus canales Sephirotici constant, eorumque mysterijs, ex mente Hebræorum.

INsinuat arcanum horum statim in principio liber Ietsirah his verbis:

עשר ספירות בלימה עשרים ושתים אותיות יסוד שלש אמות ושבע כפולות וי״ב פשוטות: *Liber Ietsirah*

Id est, *Decem numerationes præter illud ineffabile, viginti duæ literæ fundamenta sunt trium matrum, & septem duplicium, & duodecim simplicium*. Quæ sic explicat in Zohar Iochaides: *Produxit Deus ex seipso decem ordines, qui sunt decem numerationes, & instrumenta dispositionis suæ, per quæ Deus operatur in omnibus, quæ creauit in Mundo, suntq; lumina resplendentia de* אין סוף, *seu infinitate Dei, cui inhærent tanquam flamma carboni vinculo indissolubili, vocanturq; secundùm nonnullos* גזיר ספיר, *excisio Saphyri, eò quòd ad illuminandum Mundos absconditos ijs vsus sit; Mundum scilicet creationis, siue decem foliorum Dei ab omni intellectus apprehensione absconditorum; & Mundum formationis, qui sunt decem Mundi Angelorum, ab omni corporeo intellectus oculo absconditi; & mundanæ fabricæ, id est, sidereum in decem orbes distinctum, suntq; decem expansa; & hi totum creaturarum ambitum concludunt*. ita Iochaides. Horum itaque Mundorum canales viginti duo iuxta viginti duarum literarum ordinem dispositi sunt, eorumque canales in viginti duobus libris totius Scripturæ explicantur. Et primò diuiduntur in tres Matres, quæ sunt tres literæ אמש, tùm Mundi elementaris, tùm omnium quaternionum naturæ indices: deinde in septem duplices, suntque בגד כפרת, per quas septem planetas, septem vitas, septem extremitates, septem terras, septem Sabbatha, & omnia septena mysticè & analogicè significant: demum in duodecim simplices literas, quæ sunt הוז חטי לן סע צק, suntq; duodecim sensitiuæ naturæ operationes, & duodecim plagarum Mundi, brachiorum seculi, duodecim signorum Zodiaci, 12 mensium, omnium deniq; duodecadum naturæ & gratiæ signa sunt. quæ omnia his verbis describit liber Ietsirah. *Primò viginti duæ literæ fundamentum sunt trium Matrum* אמש, *septem duplicium, & duodecim simplicium. Tres Matres* אמש *fundamentum earum lanx meriti, & lanx debiti, & lingua stateræ medians seu reconcilians inter eas. Secundò, viginti duabus literis exarauit, exsculpsit, ponderauit, & combinauit, formauitq; cum eis animam omnis formati, & animam omnis quæ futura erat ad formandum. Tertiò, viginti duæ literæ fixæ in Orbe in 231 portis, & vertitur Orbis antè & retrò; hoc est artificium combinationis Ziruph. ex quo disces creaturas & idiomata omnia emanare ex nomine vno*. Sed explicemus singula.

R. Simon. Ben Iochai.

Liber Ietsirah

Interpretatio trium simplicium Characterum.

Tres literæ אמש quid significent apud Cabalistas.

PRimò, tres literæ אמש, *Aleph, Mem, Schin,* indicant tria elementa, vt volunt Cabalæi: per א *Aleph* enim *Adamah*, id est, *terram*; per מ *Mem, Maim,* hoc est, *aquas*; per ש *Schin* אש *Esch*, hoc est, *ignem* denotant; quibus si accedat *aër*, quem ☼ circulo notant, quemque gluten terræ, aquæ & ignis vocant, emanant inde totius naturæ tam superioris, quàm inferioris quaterniones, quibus correspondent quatuor numeri 1, 2, 3, 4, qui iuncti in vnum, dant denarium totius Vniuersitatis; iterum quatuor species quantitatis, punctum, linea, superficies, corpus. hisce accedunt quatuor cardines Mundi, Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies; quatuor

tuor anni partes, tam in superioribus, quàm in inferioribus Mundis, quibus singulis quatuor Angeli præsunt, vt in sequenti figura apparet; inter quos intermediat magnum mare intelligibile, vbi vnæ perennesque consistunt scaturigines omnium eorum, quæ per canales Sephiroticos deriuantur in inferiorem Mundum, eoque vnde profluxerunt, demum remeant, non secùs ac flumina, fontesque, mare magnum, vnde orti sunt, repetunt, quemadmodum cœlum influens actiones, proprietates, effectusque in Mundum elementarem, cuius Luna veluti penuarium quoddam est, ex quo pro rata proportione singulis in elementari Mundo, necessaria ad vitam distribuantur. Sic Mundus intelligibilis influens in cœlum, quod est veluti instrumentum quoddam mediumque, per quod Deus agit in nos, vt exequatur quicquid sibi complacet transmittere in terram; quam quidem analogicam scalam pulchrè demonstrat sequens Abacus.

Abacus quaternarij sacri, tetractij Pythagorico respondens.

	ה	ו	ה	י
Progressio numerorum	1	2	3	4
Geometrica quantitas	Punctus	Linea	Superficies	Corpus
Tres literæ, Matres dictæ	א Aleph	מ Mem	ש Schin	☼ Circulus
4 Elementa	Terra	Aqua	Ignis	Aër
4 Agathangeli	Ariel	Tharsis	Seruph	Cherub
4 Spiritus	Mahaziel	Azaël	Samaël	Azazel
4 Anni tempora	Autumnus	Hyems	Æstas	Ver
4 Portæ cœli	Bethel	Hebron	Ierusalem	Mare
4 Partes Mundi	Occidens	Oriens	Meridies	Septentrio
4 Angeli præsides	Raphaël	Michaël	Vriël	Gabriël
4 Flumina Paradisi	Euphrates	Phison	Geon	Tigris
4 Venti principales	Fauonius	Subsolanus	Auster	Aquilo
4 Spiritus præsides	Paymon	Oriens	Ammonius	Egyn

* Nota. Angelorum nomina hic ponuntur ex mente Hebræorum.

Ternarius itaque hic literarum Hebraicarum, quæ Matres dicuntur, in supremo & intellectuali Mundo tribus correspondet supremis numerationibus; quarum prima א *Ketber, Corona summa*, terra viuentium dicitur, & in quibuslibet mundis terræ, per literam א *Aleph*, respondet; secunda מ *Mem*, aquæ sapientiæ; tertia ש *Schin*, igni consumenti spiritui congruit; quibus si אין סוף *Ensuph* iunxeris, prodibit quaternarius mysticus, symbolum diffusionis diuinæ in omnia: si enim 1, 2, 3, 4, ordine in vnam summam collegeris, nascentur 10; quæ decem diuina nomina

mina, dimensiones omnium in quadruplici mundorum complexu contenta exprimunt: hinc enim, vt aiunt, per nomen Dei tetragrammaton, quo omnes Sephiroth signatæ sunt, per Angelos influit elementis, per totidem spiritus quatuor anni temporibus; hoc quaternario mystico æternæ vitæ portæ aperiuntur, quatuor mundi plagis benedictio conceditur, & quatuor paradisi fluminibus terræ sterili irriguum conceditur, quatuor Ventorum efficacia, Angelorumque ijs præsidentium ministerio, ad felicitatum portum appellitur; quæ omnia liber Ietsirah fusè ostendit his verbis:

Liber Ietsira. שלשה אמות א׳מ׳ש׳ סוד גדול מופלא ומכוסה ואותם בשש שבעות וממנו יוצאים אש ומים ומתחלקים זכר ונקבה שלש אמות א׳מ׳ש׳ יסודן ומהם נולדו אבות שמהם נברא חכל שלש אמות א׳מ׳ש׳ בעולם אויר מים אש שהים נבראו תחילה מאש וארץ נבראת ממים וחאויר מכריע בין חאש ובין המים שלש אמות א׳מ׳ש׳ בשנה אש ומים ורוח חום נברא מאש קור ממים ורוח מכריע בינתים שלש אמות א׳מ׳ש׳ בנפש אש מים ורוח ראש נברא מאש ובטן ממים וגויה נברא מרוח מכריע בינתים:

Hoc est, *Tres Matres* אמש *mysterium magnum, admirabile & reconditum, sex annulis obsignatum, & ex eis prodeunt ignis & aqua, quæ diuiduntur in marem & fœminam; tres Matres* אמש *fundamentum eorum, & ex ijs generati sunt Patres, ex quibus creata sunt omnia: tres Matres* אמ"ש *in Mundo, aër, aqua, ignis; primò cœli creati sunt ex igne, & terra creata est ex aquis, & aër conciliator est inter ignem & aquas. Tres Matres* אמ"ש *in anno, ignis, aqua, & spiritus; cœlum creatum fuit ex igne, frigidum ex aquis, & temperatum ex spiritu, medium concilians inter eas. Tres Matres* אמ"ש *in anima, ignis, aqua, & spiritus; caput creatum est ex igne, venter ex aqua, corpus intermedium concilians creatum est ex spiritu.* Quid per sex annulos, quibus Matres obsignatæ sunt, aliud hoc loco indigitatur, nisi sex Sephiroth, misericordia, iustitia, pulchritudo, victoria, & gloria (quæ duæ passim pro vna Sephirah accipiuntur) *Iesod*, & *Malcuth*? quid ignis & aquæ inde emergentes aliud, nisi aquæ misericordiæ, & ignis iudicij seu seueritatis, quèis in mundum pro ratione æquitatis influunt? vnde & lances meriti & debiti dicuntur. Et quinam sunt ij Patres, ex quibus omnia prodeuntia sunt, nisi tres superiores Sephiroth, Pater, Sapientia, & Spiritus seu Ignis? quæ aptè per אמש indicantur, dum א *Aleph* אב Patri, Sapientiæ מים, id est, aquam, Spiritui אש, id est, ignem attribuimus. Vides igitur, quomodo hæc secundùm analogiam quandam omnibus mundi Classibus applicentur? Ex igne enim hoc supramundano primò creati cœli; ex aquis illis intellectualibus sapientiæ creata est terra, aëre conciliante & ignem & aquas; atque hinc in anno proueniunt frigidum, humidum, siccum, calidum, quèis omnia originis suæ principia nanciscuntur; ab his microcosmi mundi filius constituitur, caput igneâ virtute poliens, à supremo illo igne; venter humiditate præditus ab aquis illis sublimibus, corpus à spiritu illo Altissimi. Quomodo autem hæc omnia diuinâ virtute signentur, his verbis indicat Ietsirah inductione factâ iuxta denarium numerum.

Sententia Hebræorum,

Sententia Hebræorum de ternario literarum.

Liber Ietsira. עשר ספירות בלימה אחת רוח אלהים חיים: הק׳ב׳ח קול ורוח ודבור וזה רוח הקודש: שתים רוח מרוח חקק וחצב בה ב׳ב׳ אותיות; יסוד שלש אמות ושבעה כפולות ושנים

ושנים עשר פשוטות הרוח אחת מהן: שלש מים מרוח חקק וחצב בהן תהו ובהו רפש ורפיש חקקן כמין ערוגה חציבן כמין חומה סבבם כמין מעזיבה: ארבע אש ממים חקק וחצב בה כסא הכבוד ואופנים ושרפים והיות הקדש ומלאכי השרת ומשלשהן יסד מעונו שנאמר עשה מלאכיו רוחות משרתיו אש לוהט: חמש שלש אותיות מן הפשוטות החם רוח בעד שלש וקבען בשמו גדול יה׳ו׳ והחתם בהן שש קצוות פנה למעלה והחתמו ביה׳ו׳ ישש החם תחת פנה למטה והחתמו ביו׳ה׳: שבע החם מזרח פנה לפניו והחתמו בה׳יו׳: שמנה החם מערב פנה לאחריו והחתו בה׳ו׳י: תשע החם דרום ופנה לימינו והחתמו בו׳י׳ה׳: עשר החם צפון ופנה לשמאלו והחתמו בו׳ה׳י׳:

Id est: *Decem Numerationes præter illud ineffabile, vnus spiritus Deorum viuentium, lux, Verbum, & Spiritus, & hic est Spiritus sanctus.* Decem igitur Numerationes sunt vnus Spiritus Deorum viuentium, hoc est, Sacrosanctæ Triadis. *Duo, Spiritus de Spiritu exarauit, & exsculpsit in eo viginti duas literas; Tria, aquæ ex spiritu, exarauit, & exsculpsit in ipsis inane & vacuum, cœnum & lutum, exarauit eas iuxta speciem areolæ, exsculpsit eas iuxta speciem muri, obtexit eas iuxta speciem pauimenti.* id est, sub ijs præparauit materiam primam, chaos, lutum paulatim distinxit in partes vnicuique debitas. *Quatuor, ignis ex aqua, exarauit, & exsculpsit in eo solium gloriæ, Ophanim, Seraphim, Animalia sancta, & Angelos ministerij.* id est, ex igne, ex Spiritu illo, qui ferebatur super aquas, suscitato, solium gloriæ suæ, quæ sunt quatuor principales Angelicorum Chororum Classes. *Et ex tribus illis fundauit habitaculum suum, iuxta illud, qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem flammantem. Quinque; tribus literis ex simplicibus sigillauit spiritum circa tria, & fixit eas cum nomine suo magno* יהו, *& sigillauit cum eis sex extremitates, vertit se sursum, & sigillauit eum cum* יהו. id est, sex extremitates ædificij, quæ sunt sex inferiores Sephiroth, quas insigniuit nomine suo יהו. *Sex; sigillauit inferiùs, vertit se deorsum, & sigillauit eum cum* וה. id est, deinde conuertit sese à Sephiroth ad mundum sensibilem, quem signauit nomine suo וה, quem Mundum aptè ו, id est, senarius, & ה quinarius, vt alibi dictum est, exhibent. *Septem; sigillauit Orientem, vertit se ante eum, & signauit eum cum* היו. *Octo; sigillauit Occidentem, vertit se retrò, & signauit eum* הוי. *Nouem; signauit Austrum, vertit se ad dexteram suam, & signauit eum* ויה. *Decem; signans Aquilonem, vertit se ad sinistram, signauit eum cum* והי. id est, quatuor Mundi plagis præfecit totidem Angelos, diuersis nominibus suis insignitos; quæ sunt fortia contra malignas potestates signacula. Atque ex his, dici vix potest, quantam farraginem superstitionum deducant, quas præstat silentio supprimere, quàm in ijs refutandis tempus terere. Vidimus mysterium trium simplicium literarum אמש; iam septem duplicium arcana rimemur.

Interpretatio septem duplicium characterum.

VIdimus quomodo ex tribus mysticis literis אמש, diuinitatis & intelligibilis mundi symbolo, nascatur quaternarius siue tetractys mundana. Porrò 3 iuncta ad 4 faciunt 7, atque exhibentur per septem duplices

plices literas Alphabeti mystici, suntque בגד כפרת, de quibus ita liber Ietsirah (verba latinè profero.) *Septem duplices* בגד כפרת, *duabus linguis assuetæ, vitarum, pacis, sapientiæ, diuitiarum, gratiæ, seminis, & imperij; & assuetæ sunt duabus linguis* ת'ח, ר'ד, פ'פ, כ'כ, ד'ר, ג'ג, ב'ב, *ad similitudinem fortis, & leuis, remissi & duri; duplicatæ sunt, quia sunt permutationes; permutatio enim vitæ, mors est; permutatio pacis, bellum; permutatio sapientiæ, stultitia; diuitiarum paupertas; gratiæ, indignatio; seminis, solitudo; permutatio deniq; imperij, seruitus.* Alludit hìc ad septem gradus bonorum, quos Deos ope septem harum literarum in mundo produxit; quibus semper è regione totidem mala opponuntur. Præterea earum ope in mundo *septem determinauit extremitates* per totidem Sephiroth indicatas, suntque sursum, deorsum, Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies, & palatium sanctum in mundo sustinens omnia. quæ fusè explicat Pardes. Iterum septem harum literarum ope *exarauit, exsculpsit, combinauit, formauitque stellas in Mundo, dies in anno, & portas in anima, & exsculpsit ex ijs septem expansa, septem terras, septem Sabbatha; ideo dilexit septimum sub omnibus cœlis.* Explicat paulò post his verbis: *Duæ literæ ædificant duas domos; tres ædificant sex domos; quatuor ædificant 24 domos, quinque ædificant 120 domos; sex ædificant 720 domos.* Alludit hoc loco ad vim combinationis, quæ fit ab vnitate ad 10, & in infinitum. Si enim 1 in 2 duxeris, habebis 2; si tria in duo, habebis 6; si quatuor in sex, habebis 24; si 5 in 24, habebis 120; si 120 in 6, habebis 720; si 720 in 7, habebis 5140; & sic in infinitum, vti susè in libro octauo Musurgiæ nostræ cap. 1. ostendimus. Hos igitur combinationis terminos vocarunt domos, duæ enim literæ, duas faciunt transpositiones, tres literæ 6, quatuor literæ 24, quinque literæ 120, & sic de cœteris, vti dictum est. Hoc pacto septem literæ בגד כפרת transponi possunt 5040 vicibus. Quæ transpositiones siue combinationes respondent totidem septem planetarum diuersis configurationibus, influxibusque. Hinc statim Ietsirah subiungit. *Et hi sunt septem stellæ in Mundo, Sol, Venus, Mercurius, Luna, Saturnus, Iuppiter, Mars; & hi sunt dies in anno, septem dies creationis; septem portæ in anima, duo oculi, duæ aures, & os, & duo foramina narium. Et in illis sunt septem expansa exsculpta, septem terræ, & septem horæ, & ideo Deus dilexit septimum in omni negotio sub cœlis.* Per expansa intelligit septem illa spacia inter cœlos & cœlos, quorum vnumquodque dicunt esse 500. milliarium; quod tamen secundùm Astronomiam falsum est; per septem terras intelligit septem tellures cœlestes, id est, ipsos planetarum globos, telluri nostræ quoad constitutionem haud absimiles; per septem horas, septem Sabbatha. Toto itaque hoc mystico discursu de septem literis duplicibus facto, nihil aliud intelligunt, nisi septenarij vim in vniuersum diffusam; siquidem septem Sephiroth influunt in septem intelligentias septem planetarum; hi in mundi inferioris septemplicem œconomiam; vnde non sine causa inter septem Sephiroth candelabrum septem lychnuchis conspicuum dicti septenarij symbolum posuerunt. Septem igitur Angeli siue Intelligentiæ, quorum administrationi septem planetarum orbes commissi sunt, de septem

Liber Ietsirah.

horis in dies, de diebus in septimanas, de septimanis in 354 reuolutiones annuas, alternâ & successiuâ vicissitudine mutant præsidium. Vnde omnia quæ in Mundo, sub septenarium cadunt, eoque administrantur; hoc ordine ita disposito, septem Sabbatha non solùm à Paschate vsque ad Pentecosten, sed & septenarij 49 annorum disponuntur, ad quorum finem incidit magnum Iubilæum, & tandem septenarius millesimus Sabbathi Sabbathorum, rerum omnium sempiterna quies; quæ omnia septenario illo mystico indicantur. Quicquid enim natura producit in terra, ad similitudinem literarum facta sunt, ex quibus conscriptus est liber vitæ; cuius tamen Alphabetum non consistit nisi in rerum omnium harmonia, consensu, & proportione vnius ad alteram. Verùm septenarij Abacum apponamus.

Abacus Cabalicus Septenarij mystici.

7 Literæ duplices	ב Beth 2	ג Ghimel 3	ד Daleth 4	כ Caph 20	פ Phe 80	ר Resch 200	ת Thau 400	
Significatio earum	Via	Pax	Sapientia	Diuitię	Gratia	Familia	Imperium	
7 Planetæ	☉ Sol	♀ Venus	☿ Mercurius	☾ Luna	♄ Saturnus	♃ Iuppiter	♂ Mars	
Eorum 7 Angeli	Raphaël	Haniel	Michael	Gabriel	Zaphkiel	Zadkiel	Camael	* Nota hic iterum recensentur Angelorum nomina ex Rabbinorum mente.
Eorum 7 Intelligentiæ	Nagiel	Hagiel	Tiriel	Eliniel	Agiel	Iophiel	Graphiel	
Sigilla siue numeri mystici ipsis correspondentes	6	7	8	9	3	4	5	Radix
	36	49	64	81	9	16	25	Quadrat.
	111	175	219	369	15	34	65	Num. collectionis.
7 Spiritus ijs annexi.	Semeliel	Nogaël	Cochabiel	Lemanaël	Sabathiel	Zedekiel	Madimiel	

Quid porrò numeri seu sigilla vnà cum Intelligentijs subscriptis sibi velint, dicetur volente Deo in Arithmetica hieroglyphica, vbi ex professo omnia hæc amplissimè explicabuntur.

Interpretatio duodecim literarum simplicium.

PORrò 4 per 3 in se ducta dant 12, quibus dodecas totius naturæ & gratiæ indicatur; duodecim signa Zodiaci, duodecim Menses, duodecim operationes Microcosmi, duodecim portæ Ierusalem supernæ, duodecim tribus Israël, duodecim plagæ mundi, & totidem Angeli earum præsides; quæ quidem omnia mysticè continentur in duodecim literis simplicibus, de quibus liber Ietsirah: *Proprietates duodecim simplicium* שתים עשרה פשוטין *fundamentum illarum, Visus, Auditus, Odoratus, Locutio, Comestio, Coitus, Opus, Ambulatio, Ira, Risus, Cogitatio, Somnus. Proprietates earum duodecim Orbis termini, qui dilatantur & progrediuntur usque in sæculorum sæcula, & sunt brachia seculi. Duodecim simplices exsculpsit, combinauit, & formauit ijs duodecim signa cœlestia in Mundo, & hi duodecim Menses in anno; Nisan, Iyar, Siuan, Tamuz, Ab, Elul, Tisri, Marchesuan, Casleu, Tebeth, Sebath, Adar; Et hi sunt duodecim moderatores in animali, duo pedes, duo renes, cor, stomachus, splen, hepar, fel, intestina, vesica, arteriæ. Fecit ea instar prouinciæ, & ordinauit ea ad modum belli, vnum è regione alterius; fecit Deus tres Matres, septem duplices, duodecim simplices.*

Lib. Ietsirah.

Sed cur hæc arcana literis designarunt? Respondeo, quia literæ Alphabeti se habent, per modum dispositionis rerum materialium: Quemadmodum enim literæ vnius Alphabeti continent in se virtualiter omnia, quæ hucusque ab Authoribus conscripta sunt, nullusque adeo sensus conceptusque abstrusus est, qui dictis literis exprimi non possit, quod non fit nisi per combinationem literarum, dictionibus, periodis, conceptibusque applicatam; ita res in mundo tametsi dispersæ sint, combinatæ tamen mirabiles & prodigiosos effectus præstant. Neque enim quicquam in mundo est, neque quicquam in lege scriptum, quod per literarum combinationem & transpositionem, vti & per formas, figuras, characteres earundem, sedulus huius arcani scrutator, reperire non possit; sunt enim omnia mirâ quâdam analogiâ connexa, vt nihil penè in vno, quod in altero non sit arcanâ quâdam pentamorphæ naturæ similitudine adumbratum. Verùm iam duodecadem naturæ apponamus.

Literis Alphabeti cur Cabalistæ arcana sua explicant.

Abacus Cabalicus Dodecadis naturæ.

12 Literæ simplices cum numeris, quę sunt radices totius analogiæ mysticæ.	Significationes earum in operationib⁹ human.	12 Signa Zodiaci, quæ Hebrei מזלות vocant.	12 Menses Hebræorũ prout Latinorum Mensibus respondẽt.	Nominis Dei יהוה 12 combinationes cum 12 tribubus	12 Cardines Mundi, seu venti principales 12.	12 Eorum Angeli seu Præsides Intellig.
ה 1 He 5	Visus	♈ Aries	Nisan Martius	יהוה Iuda	Subsolan⁹ Oriens	Melchidaël

ו 2 Vau

ו 2 Vau 6	Auditus	♉ Taurus	Iiar Aprilis	יהוה Isachar	Eurus	Asmodel
ז 3 Zain 7	Odoratus	♊ Gemini	Siuan Maius	יהוה Zabulon	Phœnix	Ambriel
ח 4 Cheth 8	Verbum	♋ Cancer	Tamuz Iunius	יהוה Ruben	Notus Meridies	Muziel
ט 5 Teth 9	Gustus	♌ Leo	Ab Iulius	יהוה Simeon	Libanotus	Varchiel
י 6 Iod 10	Congressus	♍ Virgo	Elul Augustus	יהוה Gad	Africus Lips	Hamaliel
ל 7 Lamed 30	Operatio	♎ Libra	Tisri September	יהוה Ephraim	Zephyrus Occidens	Zuriel
נ 8 Nun 50	Ambulatio	♏ Scorpius	Marchesuã October	יהוה Manasse	Corus	Zerachiel
ס 9 Samech 60	Ira	♐ Sagittarius	Casleu Nouember	יהוה Beniamin	Circius	Aduachiel
ע 10 Nghain 70	Risus	♑ Capricornus	Teueth December	יהוה Dan	Aquilo Septẽtrio	Hamael
צ 11 Tsade 90	Suspicio	♒ Aquarius	Scheueth Ianuarius	יהוה Aser	Borrapheliotes	Garrubiel
ק 12 Koph 100	Somnus	♓ Pisces	Adar Februarius	יהוה Nephtali	Cæcias	Borahiel

* Hic similiter ex Rabbinorum & Cabalistarũ mente ponuntur Angelorum nomina.

Deus influit per duodecim literas simplices, & nominis sui tetragrammati combinationes, primò per Angelos duodecim in duodecim signa Zodiaci, & hinc in inferiorem œconomiam per duodecim Menses, quorum ope omnium totius anni spacio rerum generationes perficiuntur. Quis autem vsus omnium hucusque dictorum, iam exponere aggrediamur.

Tametsi hæ tres quaternarij, septenarij, & duodenarij mystici tabulæ nihil aliud, quàm simplicem rerum mundanarum analogiam indicent, Ægyptijs propriam; quia tamen nihil tam rectum esse potest, quod non subinde in prauos vsus conuertatur; ideo caueat sibi Lector, ne quicquam ex ijs quæ dictis tabellis continentur, ad superstitiosam amuletorum fabricam adhibeat; certòque sibi persuadeat, se hoc faciendo, rectâ philosophiæ semitâ relictâ, magicam officinam non sine animi pernitie intraturum.

CAPVT X.

De Cabala Naturali, quam Berescith sive fabricæ appellant; in qua primò de Ensalmis Cabalicis, cœterisque precatorijs superstitionibus agitur; deinde licitæ ab illicitis, a naturalibus magicæ, Diuinæ deniq; à Diabolicis operationibus separantur; in gratiam eorum, qui exactam horum discernendorum notitiam acquirere desiderant, & ea ex officio scire tenentur.

§ I.

In quo consistat hæc Cabala.

Cabala naturalis in quo consistat secundùm aliquos.

PAucos omninò, imò vix vllos reperio, qui rectè Cabalam hanc tradiderint. Nonnulli totam rerum naturam sub sacrarum tegumento literarum, elementorumque Hebraicorum cortice latere putant; & hanc Cabalam naturalem volunt. Quidam in entium naturalium, singulorumque ordinum dispositione hanc consistere arbitrantur; ex qua analogia & proportione singulorum ad alia per applicationem actiuorum cum passiuis mira se præstare posse putant. Non desunt etiam qui in spirituum adiuratione, & gratiarum impetratione vim Cabalæ reconditam existiment, quorum vsu & ope ad summas vsque, & intolerabiles superstitiones omnia se posse insolentiùs iactitant. Alij denique totam Cabalam ad vitæ æternæ bona, adhæsionemque cum Deo consequendam conferre credunt; nihil aliud intendentes, nisi vt mentis conceptus & phantasiæ simulachra, corporis quoque gestus, veluti terrestrium canalium orificia diuinis paradigmatis, & Angelicis, cœlestibusq; Virtutibus, tanquam sublimium canalium inuicem orificijs coaptent, vnde solers fidei & pietatis cultor minori sollicitudine & cura ipsi omnium bonorum largitori & Patri luminum Deo adhærere queat, & huius futuræque vitæ commoda cum summa vitæ felicitate consequi, eisque potiri valeat. Sed hæc paulò amplius dilucidiùsque non ex mea, sed ex mente Theologorum Hebræorum exponamus. Homo cum ad habitum vniuersi, trinam in se machinam complectens, factus sit, si vti Cabalæi putant, ad votum suum pertingere desideret, necessarium est, vt mente, sensu & corpore se adaptet; ne vti primus Adam per mulierem coniugem serpentis calliditate & astutia deceptus, distrahatur, omnes, aiunt, compaginis suæ vires in vnum vt colligat, conuertat, transferatq; in cœlestia, necesse est; vnde & hanc operandi, coaptandique rationem, canalium correspondentiam vocant, eò quòd ille, qui ad supercœlestium aquarum scaturiginem deorsum per varios fistularum influxionumque meandros stillantem pertingere, & sempiternæ vitæ liquorem haurire cupit, opus sit, vt ipse quoque fistu-

fistulas canalesque iuxta debitam analogiam erigat, quorum orificia sublimium Canalium meatibus ad amussim respondeant, alioquin aquarum cœlestium scatebræ non assequetur, ijs in externas voragines defluentibus; nec rectè Canales accommodabit, nec particeps fiet cælestis stillicidij, sed auram hauriet inanem, iuxta illud Deuter: 10. *Dominum Deum tuum timebis, & ei soli seruies, ipsi adhærebis, iurabisque in nomine ipsius*, vbi iurare in nomine eius, vel innocare nomen eius, mentis adhæsionem, vt aiunt, significat; mentis autem adhæsio corporis obsequium & seruitutem requirit, seruitus illa timorem postulat. Quisquis igitur desideria sua ab ipsa bonorũ omnium scaturigine consequi exoptat, eum in spiritu & veritate adorare oportet; adoratio autem seu oratio, Hebræis תפילה *Thephila* dicta, cùm nihil aliud sit, quàm eleuatio mentis in Deum, stabilem quoque firmamque Dei adhæsionem designat, iuxta illud: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*. Quod & ipsi Ethnici cognouerunt: Iamblichus enim in libro de mysterijs Ægyptiorum expressè dicit, *Numina Deorum pedissequa tum primùm attingi, quando anima deposuit modum cognitionis mobilem*; cùm enim, inquit, cognitio per adæquationem fiat, sequitur vt Numina sempiterna & immobilia attingamus notione sempiterna, immobili, simplici; quam contactum diuinitatis, vel etiam Binsica, seu osculum mortis vocant Cabalistæ; nos verò fidem, quam adhæsio sequitur, nuncupamus.

Tota igitur vis exorandi & vota consequendi ab illo bonorum largitore, qui propè est inuocantibus nomen eius in veritate, sita est in adhæsione & stabilitate mentis per fidem in Deo. Nam quemadmodum humanæ mentis cõceptus nullius linguæ, vel alterius corporei organi motu aut gestu explicari potest, nisi motiuus spiritus phantastico & cogitatiuo spiritui adhæreat; quod si verò nonnullos pituita, vel bilis meatus obstruat, spiritumque motiuum à cogitatiuo seiungat, mox lethargus, paralysis, & stupor mentis totius corporis occupat artus, adeoque organum humoris affluentiâ prægrauatum, nullum prorsus mentis, vel cogitatiuæ virtutis conceptum quouis modo depromere & explicare potest; haud absimili ratione mens mortalium, quando ob terrenarum voluptates, carnisque illecebras distrahitur, & à mente superna, cuius vniuersa elementa & Mundi veluti connexa sibi corpora quæq; ad nutum ei obtemperant; auertitur; tunc quasi stupore & paralysi affecta, supernæ mentis consortio haudquaquam frui potest; neque effectum aliquem in coniunctum sibi, nedum in alienum corpus depromere valet, abest enim fidei feruor & vnio: quòd si verò dicta vitiorum impedimenta per animi conuersionem, fideique ardorem ablata fuerint, mox sequitur adhæsio, adhæsionem verò comitatur facultas exequendi votum suum, atque ritè iurandi inuocandique in nomine Dei tetragrammato. In hunc itaque statum euectos homines Cabalici putant omnia posse, vtpote in Deum transmutatos; tunc iuxta alias atque alias petitiones, alia & alia Dei Angelorumque nomina inuocant, vt tandem votorum suorum fiant participes. putant enim sub alijs & alijs diuinis nominibus occultum quendam diuersarum

Cabalistarum superstitio.

ſarum rerum, quas poſtulant, conſenſum latere; quem qui nouerit, facilè eius quoque, quod poſtulauerit, compotem futurum. Cùm verò nullum aſtrum ſit, cœlique portio, quam non particulares præſides ſibi Intelligentias habere credant; hinc conſequens eſſe putant, Angelicam talis & talis cœli portionis virtutem, tali & tali loco accommodari. Cùm itaque non ſemper eadem ſit cœli ſiderumque poſitio, ideo imparibus quoque locis & temporibus (quod & Ægyptijs in more poſitum fuiſſe ſuo loco dicemus) ſupercœleſtia Numina adaptantur; non quòd locis & temporibus alligentur (ſicuti nec corpori, cuius cuſtodiæ deputata eſt, Angelica virtus alligatur) ſed quia ſapientiæ ordo id poſtulat. Hinc ſicuti Angelica vis illi homini, cui diuinitùs deputatur, magis fauet, quàm alteri; ſic & ſingulæ Intelligentiæ ad rerum naturalium conſeruationem, ſingulis deſtinatæ, illis quibus præſunt, impenſiùs fauent, quàm alijs iuriſdictioni eorum non ſubiectis. Pari pacto ſicuti Mundi Opifex ideis rerum creandarum plenus per naturam (artem ſuam) alibi producit aurum, alibi plantam, alibi animal, quæ tamen ex vna eademque inexhauſta diuinæ bonitatis origine manant; ſic vtique & mens mortalium, cuius vita & animus eſt ipſa quaſi mens ſuperna, iuxta illud Deuter. 30. *Illi adhæreas, ipſe eſt enim vita tua*; dum ad immortalem ſeculorum Regem aſcendit, opemque implorat, non abſque ratione ſub alieno nomine, vel alio eiuſdem nominis pronunciandi modo petit ſapientiam, ſub alio fortitudinem, ſub alio vbertatem annonæ, & reliqua vitæ commoda.

Atq; hucuſque benè quidem philoſophantur Hebræi, ſi inter terminos legitimos conſiſtant. Verùm inter limites contineri neſcij plerumq; totam hanc philoſophiæ rationem ad enormes ſuperſtitiones adhibent, dum mentis expiationem ad vnionem cum Deo neceſſariam non rectè perficiunt: putant enim frequenti corporis lotione animam à peccatis naturaliter purgari, externiſque ritibus & cœrimonijs, rebus videlicet materialibus, vti varijs geſtibus, & ſitibus corporum (quod & Ægyptijs in more poſitum fuiſſe alibi oſtendimus) maximè perfici. Sed Eccleſia Catholica conuenientiùs aſſerit, animam nullâ re materiali, cùm nullâ ad animam proportionem habeant, naturaliter perfici, ſed diſpoſitiuè tantùm. Et ſi quando, vt in ſacramentis, materialia adhibeantur, ea non naturali efficientia, ſed per virtutem, vt Theologi loquuntur, obedientialem eleuata, ex inſtituto diuino, gratiam conferunt. In benedictionibus etiam rerum, quas Eccleſia ſtatutis temporibus adhibet, nulla naturalis actio, ſed merè moralis, animam afficit, vti fuſè Theologi probant. quod etiam ex Orationibus differentibus, quas benedictionibus rerum Eccleſia Catholica adhibet, colligitur; in quibus res rebus, id eſt, nominibus Dei & attributis, quàm poteſt appropriatiſſimè applicari ſolent; vti in exorciſmis, in benedictione aquæ, ſalis, cereorum, herbarum, ſimiliumque luculenter patet, & fuſè proſequitur S. Dionyſius in lib. de Eccleſ. Hierarch. Hinc diuina prouidentia ex occulto & impenetrabili quodam conſilio ita Sanctorum merita conſtituit, vt quidam febribus, morbiſque particularibus diſpellendis; nonnulli peſti & contagioni remouendæ; alij partu-

rien-

rientium difficultatibus tollendis, alij alijs vitæ humanæ incommodis amoliendis præſint, vt proinde Eccleſia Dei non ſolùm permittat, ſed & vel maximè huiuſmodi particularem Sanctorum cultum & venerationem (prout ipſorum merita ad tale aut tale malum amouendum, particulare à diuina prouidentia munus adepta ſunt) approbet. Huc pertinent quoque, vti dixi, ad diuerſis animæ malis medendum ſeptemplex diuinorum Sacramentorum inſtitutio; huc tot, ac tam multiplices in Eccleſiaſticis functionibus cœrimoniæ & ritus reſpiciunt; vt homo ex animo & corpore conſtitutus, partim externis, partim internis actibus, geſtibus, nutibus, Deum, cuius diuinis virtutibus omnia & hominis, & magni Mundi membra analoga ſunt, imploret, ſollicitetque ad id, quod neceſſitatibus eius conuenit, impetrandum: vt proinde Hæretici noſtri temporis vel hinc colligant, quàm magnâ ratione hæc & ſimilia Dei Eccleſia inſtituerit, & inſtituta ſeruanda per totum terrarum Orbem præceperit. Sed ad Cabalam reuertamur.

Ritus & ceremoniæ externæ in Eccleſia Dei ad quid inſtitutæ.

Cùm itaque vniuerſa ratio & facultas adhærendi Deo in conformitate noſtrarum operationum cum diuinis conſiſtat, atque adeo illa fidei, ſcientiæ, meditationis, orationis, omniumque Sacramentorum baſis ſit & fundamentum; hinc Cabalæus dum orat, & Dei Angelorumque nomina inuocat, primò mentalem operationem exercet, meditando & contemplando figuras, numerum, atque poſitionem & combinationem literarum tetragrammati, vel nomina Angelorum, ea referendo atque coaptando exemplaribus atque ideis, quas menti diuinæ ineſſe comprehendit; deinde imaginationis conformem quoque mentali operi actionem perficit, effingendo, & ſtabili conceptu imprimendo ſacrorum nominum figuram, puncta, elementa; ſimili lege externa corporis opera vocis moderamine, & organorum geſtu varijs quidem modis, iuxta petitorum & inuocandorum nominum varietatem, peragit. Sic Helias, dum Deum inuocauit pro reſtituenda mortuo puero vita, expandit ſe, & ter menſus eſt ſuper puerum; & pro impetranda pluuia, pronus in terram poſuit faciem inter genua. Sic de Moſe, Ioſue, Heliſæo, alijsque Prophetis diuinum imprecantibus auxilium ſacra recenſet hiſtoria, qui pro petitorum varietate varios diuerſoſque corporeos actus exercuêre; quæ omnia rectè fiunt, dummodò ſuperſtitio abſit; Verùm cùm illa apud modernos Cabaliſtas plerumque interueniat, præmium ſuum meritò perdunt; & tantam vim habent, quantam ex Eccleſiæ approbatione obtinent: ſine cuius authoritate nullo nunquam tempore exercenda ſunt, aut vſurpanda, vtpote innumeris diabolicis illuſionibus expoſita. Tradunt Hebræi R. Iſmaëlem Pontificem azymam placentulam diuinis quibuſdam inuocatis nominibus conficiendam docuiſſe, qua ſincerâ fide, & purâ mente ſumpta, mox manducantis animâ & cor ipſum afflari, ſupernæq; ſapientiæ lumine irradiari aiunt. Idem narrant de Eleazaro quodam Kalir ideo nuncupato, quòd cuiuſdam placentæ eſu repentè cœleſti ſpiritu afflatus ſublimia & profunda ſapientiæ oracula hymnis, quæ ab vniuerſa Iudæorum Synagoga ſolennibus feſtis diebus paſſim decantari ſolent, profuderit;

Ritus & Ceremoniæ externæ Cabaliſtarum.

Superſtitio Rabbinica eiuſque confutatio.

quæ

quæ quidem imitanda non sunt, nec vsurpanda nisi ab Ecclesia priùs approbata, cùm malignus spiritus in lucis figuram transformatus, non solùm illicitis, sed & sub specie sacræ actionis licitis, multis modis hominibus illudere soleat. Si tamen hæc anagogicè explicare liceat, dicerem profectò placentulam hanc in lege noua aliud non esse, nisi corpus Dominicum, quo cibati Sancti Dei homines, diuino lumine illustrati, vnicam ad æternæ sapientiæ penetralia semitam inueniunt.

Modus Cabalistarum aptandi diuina nomina ad petita obtinenda.

Porrò modum aptandi diuina nomina interioribus affectibus, exteriorumq; membrorum gestibus ad petita obtinenda, Cabalistæ ponunt in decem diuinorum nominum Sephirotico schemate, in Canales suos, diuinos influxus deuehentes, aptè dispositos, distincto. Hinc illud primò sub ratione abstracta, & soli archetypo attributa considerant; secundò, sub ratione Mundi Angelici, in quem immediatè Mundus Archetypus influit; tertiò, sub ratione Sensibilis, id est, Siderei, & Elementaris, in quem Mundus Archetypus Angelicarum operationum influxuumque continuâ quâdam concatenatione influit. Quæ omnia cùm in lege inclusa sint, lex autem Dei omnia opera demonstret, & Angeli inter opera Dei primum locum occupent; consequi necessariò aiunt, & legem Angelos, eorumque nomina, officia, loca explicare; nam inquiunt maximam legis intentionem circa Angelorum Choros versari; nec abludit ab hoc Euangelica lex, iuxta illud: *Accepistis legem in dispositione Angelorum*; cuius tamen verum sensum audire dum nolunt, tenebris inuoluti, in vltimum superstitionum barathrum meritò labuntur. Nam primò omni studio attendunt ad decem diuinorum nominum cum denis mundorum inferiorum membris, analogiam; canales quoque exactâ curâ iuxta intentam analogiam coaptant, nè alicubi offendiculum occurrat, aut indispositione mentis obturentur; quòd, si superstitio absit, benè fit. Hinc si influxu recto à *Kether* vsque ad *Malcuth* irradiari velint, nomina tùm Dei, tùm Angelorum dictorum nominum canalibus propria, certis ex sacra Scriptura locis adaptant; & sic voti compotes se futuros arbitrantur. Quòd si frequentibus peccatorum lapsibus canales diuinæ bonitatis obstruxerint, tunc nomina seu Sephiroth *Chochma, Chesed, & Netsah* certis versibus ex sacra Scriptura deductis applicantes, per canales misericordiæ influxus in se, tùm ad veniam peccatorum, tùm ad bonorum temporalium abundantiam consequendam se deriuare posse arbitrantur. Si vindictam contra inimicos, atque contra malignos spiritus præsidium postulant, id præstant per certas orationes appropriatas nominibus Sephiroth sinistri lateris; harum enim virtute ab omni pernicie immunes se futuros credunt. Cùm verò Deus per Angelos omnia administret, hinc putant, eâdem efficaciâ, quâ Deus harum virtute orationum mouetur, ea & Angelos, qui dictis numerationibus applicantur, ad succurrendum in necessitate constitutis motum iri; Angeli verò eadem vi moti virtutis suæ energiam in decem Siderei Mundi sphœras impriment, hæ verò virtute impregnatæ in decem elementaris Mundi entium gradibus, & decem humani corporis principalibus

Angelorum nomina quomodo adaptent Cabalistæ ad petita obtinenda.

bus membris iuxta dictam analogiam, non secùs ac chorda chordam, ac rota rotas ordine sibi innexas mouent, ita motum, vitam, bonorumque temporalium vbertatem producent. Atque hinc nominum variorum fictio originem inuenit, quia nomen Dei Nomini Angeli in vnum coniungentes, circulo sideris, quem exhibent nomina, signatum imponunt; atq; huiusmodi nomina maximam vim obtinere arbitrantur ad id, quod congruis orationibus dicta sigilla respicientibus postulant, obtinendum. Nam, vt R. Tedacas Leui lib. de decem numerationibus asserit:

R. Tedacas Leui.

וע"ל ארבע רוחות ברא מלאכים וממונים עליהון ביומא ובלילה:

Quod Deus iuxta quatuor ventos, creauit quatuor Angelos, qui præfecti sunt super eos die & nocte. Deinde addit idem Author, Michaël, qui est de parte clementiæ ac miserationum, constituitur præfectus super ventum Orientalem vsque ad dimidium diei, & vsque ad noctem; regitq; ventum Occidentalem Raphaël, qui similiter est de parte clementiæ; tum Gabriël in virtute iudicij & seueritatis præfectus est cum vento Boreali, super dimidium noctis & duas mensuras Mundi; *Hòriel verò præsidet Austro, ita vt quemadmodum in porta lucis legitur, à terra vsque ad firmamentum non sit locus vacuus, sed omne plenum Angelis bonis & malis, quorum bonos præuiâ mentis dispositione, sigillisque dictâ ratione confectis vti attrahere demulcereque, ita malignos sacris diuinisque nominibus ritè institutis propulsare se posse superstitiosiùs credunt; quæ quidem ex Ægyptiaca superstitione originem suam traxisse, nullus dubitare debet, qui Hebraicæ gentis, in huiusmodi nullo non tempore pronissimæ, ingenium penitiùs nouerit. Hanc Cabalæ partem doctissimè in magno illo de Angelica potestate opere confutat R. P. Thomas de Alassio ex familia S. Dominici Theologus verè omniscius, quem vt consulas consulo. Exemplo sint hæc duo nomina, עמרכה, & בוזו': prius ex vltimis primorum quinque versuum Genesis literis conficiunt; fines verò dictorum versuum sunt verba sequentia.

Figmentum Rabbinicum.

*Fictum Angeli nomen.

Thomas de Alassio.

5 4 3 2 1
ארץ החיים ויהי אור החשך הלילה:

Id est, *Terra vitæ, & fuit lux, tenebræ, nox.* Alterum verò compositum est ex primis dictorum quinque versuum Genesis literis, quorum verba sunt sequentia.

5 4 3 2 1
בראשית והארץ ויאמר וירא ויבדל:

Id est: *In principio, & terra, & dixit, & vidit, & diuisit.*

Hæc nomina in membrana scribunt mundissima & virginea, & in læuiori quidem parte nomen עמרכה, in altera asperiori nomen בוזו inscribunt; atque huiusmodi amuletum gestantem nullas peruersorum hominum machinationes formidare existimant; fierique non putant posse, vt contra illa verba, quibus Deus creauit cœlum & terram, vllæ hominum subsistant insidiæ, vllæ præualeant malignorum persecutiones. Sed cùm opponi-

Impia Cabalistarum & Rabbinorum superstitio.

Obiectio.

ponitur eis, cur potiùs initiales & finales dictorum versuum literæ, quàm integri versus portati id obtineant? Respondent; Deo in verâ fide eas literas tantùm, quæ totum continent, sufficere. Ego verò Christianis mentibus huiusmodi portare periapta, nisi ab Ecclesia approbata, non consuluerim; cùm sub ijsdem literis varij, contrarij, ijque pessimi, & pleni blasphemiæ sensus, suggerente Diabólo, equâ facilitate contineri possint. Sic nomen Dei 22 literarum, de quo suprà egimus, quo benedicere veteres solebant, gestatum, clementiam & misericordiam Dei mirâ vi inflectere R. Asse in l. Iehid scribit. Præterea Authore R. Hamai in l. speculationum vsitatissimum prophylacticum proponitur ex 4 communibus Dei nominibus אהיה, יאי, אדני, יהוה extractum, atque in 4 sigilla diuisum, quæ hoc pacto eruunt. Primum characterem primi nominis, & primum secundi, & primum tertij, & primum quarti accipiunt, atq; inde formant sigillum primum יאיא. Deinde pari modo circa secundas quatuor, & tertias quatuor, & quartas quatuor nominum literas operantur. prodeunt autem quatuor sigilla mystica, quæ, vt ipsi putant, gestata, maximam vim obtinent, suntque sequentia: יאיא, הדיה, ונאי, חייה

R. Asse.
R. Hamai.

	יהוה	אדני	ייאי	אהיה
	יהוה	אדני	ייאי	אהיה
Ex his fit	יהוה	אדני	ייאי	אהיה
	יהוה	אדני	ייאי	אהיה

יאיא
הדיה
ונאי
חייה

Quorum nominum sensus nihil aliud significat, nisi יהוה אלוהינו יהוה אחד *Dominus Deus noster, Deus Vnus*. Hæc itaque quatuor verba membranæ inscribunt, & ex postica parte hoc nomen אראריתא, quod ex capitalibus horum verborum literis eruunt:

אחד ראש אחדותו ראש ייחודו תמורתו אחד:

Alia impia Cabalistarũ ac Hebræorum superstitio.

Id est, *Vnum principium vnitatis suæ, principium singularitatis suæ, permutatio eius vnum*. His itaque sigillis muniti, quicquid postulauerint, infallibiliter se impetraturos confidunt, omnemque vel cœlitùs imminentem sortem frangere, vel diuertere, id est, diuinarum legum ineuitabilem potestatem sacrorum verborum virtute mitigare se posse sibi persuadent. Verùm quomodo hæc omnia solius Dei nominis inuocatione, etsi cum vera fide & amore in Deum prolata, tot tamen literarũ transpositionibus vim obtinere possint, non video; nihil igitur prosunt, nihil efficiunt huiusmodi periapta. Ne igitur Christiani (in quorum manibus passim huiusmodi Cabalica figmenta teruntur, & tanquam sacra phylacteria collo suspenduntur) imposterum à Diabolo in Angelum lucis sub diuinorum nominum velamine se transfigurante, decipiantur, dicta amuleta hoc loco ad cautelam adducere visum est. Præterea ne quid vanæ obseruantiæ desit, nomen Dei יהוה variarum vocalium adiectione vigesies quater combinant, quod vbi ad aniles vsque superstitiones recitauerunt, omnipotentes se futuros arbitrantur. Verùm vt vanos huius superstitiosæ gentis

אראריתא

sæ gentis ritus Lector curiosus luculentiùs intelligat, adducemus verba Authoris Pardes, quibus ritus & cœrimonias in nomine Dei per vocales ritè pronunciando, quas iam in producendo, modò in comprimendo spiritu, ad superstitionem plusquàm anilem vanâ sollicitudine & timore, longo discursu prosequitur, tandemq; habitu corporis & ridiculâ gesticulatione, sic describit:

Pardes.

וכשתחיל בהזכרתו תכוין פניך אל פני המזרח לא למטה ולא למעלה ואתה יושב נמעוטף בבגדים לבנים מכובסים טהורים על כל בגדיך או טלתך לראשך מוכתר בתפילין לפני המזרח שמש האור יוצא העולם ולך המש קשורות להניע בם ראשך ובכולם תתחיל מאמצע המזרח תכך רעיונך ותעלה ראשך עם הנשימה מעט מעט עד שתשלים וראשך למעלה ואחר שתשלים תשתחוה עד הארץ פעם אחד ולא תבדיל נשימת האלף לנשימת חאות הדבק בו כי אם נשמה אחת קצרה או ארוכה אך בין חאות שלשם בשרים או בחבורים יש לך רשות להנשים שתי נשימות בלי חבטא ולא יותר וכשתשלים בל טור וטור תוכל להנשים המשה נשימות לבד ולא יותר אבל פחות יש רשות בידיך ואם טעית או שגית בסדר הטור חזה שוב אל ראש הטור החוא עד שתאמרהו כראוי ובדמות החולם הנמשך למעלה נגן בחיריק הנמשך למטה ומשך בה העליון לחדביקו וכן בשורוק למעלה ולא למטה אלא משיכה אמצעית כנגד חפנים האמצעים ובצרי המשיך ראשך מהשמאל אל הימין ובקמץ מהימין אל השמאל ובחולם אחר שתשלים אם תראה צורה השתחוה לפניך מיד כנגדה ואם השמע קול קטון או גדול ותפחד פחד גדול שלא תוכל לסבלו ואפילו באמצע ההזכרה השתחוה מיד וברח אל בני אדם מהרה ולא המות ואם לא תראה ולא תשמע עזוב הדבר בכל אותה השבוע ושוב עוד פנים א' בשבוע והדע שעל דבר זה נכרת ברית:

Præmissâ itaq; dispositione puritatis corporis & animæ, quantum fieri potest maxima; conuertes caput tuum versus Orientem, non sursum, nec deorsum, sed rectè sedens, opertus vestimentis priùs lotis, candidis, mundissimis, præ omnibus vestimentis exquisitissimis; caput verò tuum sit coronatum Thephillim, id est, frontalibus collectis ante Solis exortum, vel in ipso tempore quo lux Solis Mundo oritur; sint præterea tibi quinque funiculi linei, in quibus caput tuum requiescere facies. Et incipias pronunciationem nominis ab ea dictiuncula, quæ Cholem signatur, conuersus ad medium Orientis, & purificatâ intentione siue speculatione tua exalta caput tuum, aspiratam literam paulatim pronunciando donec absolueris nomina, capite interim semper erectus; peractâ verò operatione adorabis pronus in terram semel, cauendo ne diuidas spiritum א *Aleph à spiritu literæ siue à vocali quæ adhæret* אַ *Aleph, nisi aspirata vna breuior aut longior fuerit, sed inter literas nominis, siue rectæ siue inuersæ fuerint, licet tibi ponere duas aspiratas sine pronunciatione, & non amplius; & cùm compleueris omnes ordines, licentia tibi erit ponere aspiratam* ה *solùm, & non amplius; sed hæc in arbitrio manus tuæ; quòd si in pronunciatione aut ordine erraueris, reuerteris ad principium, vsq; dum perfectè pronunciaueris omnia; nam pronunciatio Cholem trahit sursum, pronunciato Chirik deorsum, adeoq; virtutem supremam ad adhæsionem tecum perficiendam trahit. Pari ratione Sciurek non sursum & non deorsum, sed medias facies trahit; Tsere verò pronunciando deflectes caput tuum à sinistra ad dextram; & Kamets pronunciando à dextra ad sinistram; & postquam omnia compleueris, si videris subitò simulachrum*

Ridicula non minùs quàm impia Cabalistarum superstitio ex Pardes.

quoddam comparere veluti adoraturũ ante te, & si vocem audieris paruam & magnã, & incipias summã concuti formidine, ita vt non possis amplius illud sustinere; tunc recoderis subitò adorare, & fugere ad filios hominum nè moriaris; & si nihil compareat, neq; vox audiatur, relinq; negotium huiusmodi adiurationis, & reuertere altera vice repetere adiurationem, scias enim quòd sit in hoc pactum fœdus.

Confutatio & admonitio.

Ex quo luculenter patet, quàm Diabolus sub specie sacrorum rituum misera mortalium pectora vario astu decipere soleat; hisce certè ritibus apertas vanæ obseruantiæ cœrimonias implicari, ex superstitiosa vocalium prolatione patet. Quid enim sonus Cholem, Chiric, Schurck, & Camets ad Deum aliter & aliter obtestandum efficaciæ habeat, non video. Vnde magna in huiusmodi vsurpandis circumspectione opus est; Nam cùm Cabala circa altissimarum rerum principia versetur, ita vt homo facilè de spiritibus afferre iudicium non possit, nec penetrare Altissimi reseruata consilijs incomprehensis Sacramenta; summâ cautelâ & discretione ea vsurpanda est, nè Balaami Prophetæ sortem patiamur, nè Heuam Serpentis antiqui calliditate & astutiâ deceptam imitemur, nè pro luce tenebras sequamur. Metuendum est in omnibus obscurâ caligine inuolutis ab istis fulmine deiectis spiritibus, ferunt enim inter nos mortales vti Angeli, sic Diaboli vexilla sua quique; quibus tam facilè est etiam sub sacrorum nominum rituumque larua animas perdere, quàm facilè est Agathangelo vera lucis specie easdem seruare; Vndè quod semper monui, nihil ex hisce recensitis Christianis mentibus vsurpandum existimem, quin potiùs toto mentis ardore Deo Saluatori nostro inhæreamus, ipsiusque sanctissimum nomen loco portentosorum nominum inuocandum statuamus: vnius nominis familiare Numen, dulces cœrimonias, incredibiles potentias, admirandas vires, cui totius naturæ dominium imperiumque secretæ virtutis in cœlo & in terra commissum est, perpetuò & in corde & in ore geramus: Abijciamus feralia carminum secreta, & vanos furores, & execrandas artes, & philtra vim factura Dijs, & colchicos fucos; soli Deo, in quo viuimus, & mouemur, & sumus, nixi. Atque hæc de primæ Cabalæ practica parte sufficiant.

§ II.

Cabala Astrologica.

Authoris protestatio.

CVm Astrologiam Cabalicam eandem prorsùs cum Ægyptiaca in sequentibus simus demonstraturi, hic tanquam loco proprio & opportuno de ea præludere visum est; nullo alio fine, nisi vt hieroglyphicæ doctrinæ ratio per Cabalicæ doctrinæ dogmata antiquissima ritè demonstretur; quæ omnia non ex mea, sed ex Cabalistarum, & Ægyptiorum sententia & opinione, dicta, & exposita volo.

Quemadmodum influxus Sephiroticus immediatè fit in Angelos Mundi sensibilis præsides, sic hi immediatè in Mundum sidereum, & hic in Mundum Elementarem, & in corporis humani microcosmi partes Mun-

Mundo sidereo correspondentes, vt Cabalistæ volunt, influunt. Nam vt in præcedentibus dictum fuit, vti supremæ Coronæ cœlum empyreum ab oculis hominum remotissimum, sic vltima Sephiroth *Malcuth* Lunæ correspondet, quæ vltima planetarum archetyporum meritò complet omnes dispositiones cœterarum emanationum ordine consequentium; vnde non immeritò potior Sephira dicitur: hæc enim omnia inferiora disponit, suscipit omnium superiorum influxus inferioribus communicandos, regit diuersa in diuersis signis collocata, vt sic semper varia, varios producat effectus, & per frequentes cum cœteris planetis congressus veluti vxor omnium ab eis fœta suscipiat ea, quæ postea tanquam omnium inferiorum mater, mediaq; inter vtraque, superiora videlicet & inferiora, omnibus communicet. Et tametsi vltimus sit planetarum, communicat tamen cum omnibus superioribus, maximè cum Sole, cui correspondet in Systemate Sephirotico *Tiphereth*, cui quoties coniungitur, toties fœtu & viuificâ repletur virtute, quam humectatis dispositisque inferioribus infundat. Ab ea etiam in cœlestibus incipit series rerum, quam Plato catenam vocat, quâ vnaquæque res aut causa alteri connexa ab ipsa dependet, quousque deueniatur ad supremam causarum causam, à qua omnia. Est enim Luna omnium, vt aiunt, cœterorum planetarum cellarium, cœlestiumque influxuum receptaculum, ex qua omnes prægnoses Astrologicæ cum aspectibus suis originem sortiuntur, omnium effectuum elementarium causa, siue ab ipsis procedant hi effectus, siue ab Intelligentijs præsidentibus, siue à Deo iubente, vt illæ exequantur, illa signent, aut tanquam instrumenta inclinent. Disponit enim hæc inferiora omnia, eorum opinione, superioresq; Sephiroth in eam influunt, & ipsa in creatis multiplices effectus producit; eorum enim mores sequitur, cum quibus conuenit & vnitur; est nempè, vt dicunt, omnium nominum diuinorum vxor vnica, inter Deum & creata, inter cœlos archetypos & Angelos, inter nos & cœlos, inter nos & Angelos mediatrix, influxum à superioribus acceptum inferioribus communicans, à Sole supramundano potissimùm viro & marito suo impregnata fœtum communicat creaturis suis gratia Dei humectatis; ab ea enim incipit in influxibus archetypis, in ipsa omnes diuini influxus conglomerati, quibus ad supremum Ensuph rerum vltimum finem pertingere possunt. Et ideo prima quoque Sephira dicitur, & Luna archetypa, quam reliquis decem numerationibus veluti subditam volunt. Vnde si à dextris influit, placidos in nos imbres mittit; si à sinistris, contrà. Hanc à *Iesod* Mercurio vim humores commiscentem accipere; ab *Hod*, scilicet Venere, eam quæ conducit ad formas genituræ conuenientes; à *Netsah* victoria, scilicet Marte, robur & impetum; à *Tiphereth*, id est, Sole, omnimodam fœturam & lumen; à *Gedula*, scilicet Ioue, naturalem spiritum, & rerum omnium fomentum; à *Geburah* denique, scilicet Saturno, compaginem & stabilitatem sortiri asserunt; quam pro varia sui complexione, gyro, & aspectibus diuersis variè se explicare, & in Mundi Elementaris, septem correspondentes entium

Vltima Sephira Malcuth respondet Lunæ.

Lunæ efficacia in Mundo elementari.

Luna à reliquis Planetis quam virtutem hauriat.

tium gradus, vti & principalia humani corporis membra secundùm indicatam analogiam transfundere arbitrantur.

Hinc leges Astrologicæ Cabalisticæ de natorum fato; quæ tametsi orthodoxæ doctrinæ repugnant (supponunt enim animarum ante corporis introitum existentiam;) quia tamen eadem Platonici sentiunt, hîc apponendas duxi, vt consensus Veterum luculentiùs patefiat. Dicunt igitur decem esse fontes diuinos, iuxta decem Sephiroth siue dimensiones dispositos, inter quos vnus datur, qui fons animarum dicitur, & est fons *Geburæ* siue Aquilonis; quod & Ægyptij tenuerunt. Et tametsi omnes animæ ab illo fonte *Geburæ* aquilonari trahant hanc originē, transeunt tamen, vt illi sentiunt, per alias dimensiones seu Sephiroth, antequam corpori infundantur, & ab eis varias proprietates suscipiunt. Animarum quælibet eam suscipit lucis sortem, cuius naturæ est medium cui obijcitur, vel cum quo connectitur: si enim, inquiunt, per Seraphicas Intelligentias anima ab illa luce superna *Keter* emanauerit, Seraphica efficietur, & ad Seraphicas mansiones, fauente & attrahente Deo, deueniendi habebit pronitatem; si verò a *Chochma* per Cherubicas Intelligentias profluxerit, anima splendorem scientiæ suscipiet, & supernæ particeps lucis ad Cherubica inclinabit subsellia; si à *Binah*, Intelligentiæ lumine imbuta, originem vnde profluxit, affectabit; & sic de cœteris. Sicuti enim lux vitra diuersorum colorum pertransiens discolores etiam radios diffundit, rubeum si per rubeum, viridem si per viride medium transierit, & sic de cœteris; pari modo anima, vti ipsi dicunt, eam naturam induit, per cuius diaphanum transit. Ratio itaque diuersæ perfectionis animarum, vt Cabalici loquuntur, nihil aliud est, quàm variatus modus influxuum dimensionum diuinarum, per quas animæ transeunt; & tametsi omnes animæ à fonte *Gebura* aquilonari originem trahentes à sex reliquis Sephiroth fabricæ executiuè proueniant, à tribus tamen superioribus diuinæ virtutis imperio emanant; & sic secundùm proprietatem dimensionum per quas transeunt, varios imbibunt influxus. Animas enim in sphœris archetypis collocari volunt, quam Philosophiam Pythagorici atque Academici ab Hebræis, hi verò ab Ægyptijs hausisse videntur, dum animas nostras sphœris, vti & Intelligentias alligant; quas & ideo Euripedes quoque, & post eum multi alij, atria Deorum, hoc est, mentium cœlestium domicilia nuncuparunt. Quòd si animas, antequam corporibus alligentur, in sphœris diuersis commorari sentiunt, in hæresin incidunt, quæ animas humanas ab initio creatas asserit: si verò intelligant animas simul ac corporibus infunduntur, pro dispositione materiæ ad sphœras analogæ diuersis donis & talentis ditari, quæ post solutionem tandem in intellectualium chororum sphœras, quorum similitudinem in vita expresserint, reuertantur; tunc verè & orthodoxè sentiunt. Hinc SS. PP. dicunt, Mundum non finiendum, nisi tantus fuerit electorum hominum numerus, quantus fuerit prauorum Angelorum ex diuersis Choris, propter superbiæ peccatum, præcipitatorum numerus, vt ruina Angelicorum, Sanctorum Dei hominum electione hoc pacto restauretur. De hac reuersione animarum ad loca ipsis proportionata, à quibus discesserant, differentes Platonici, dum eas ad suos planetas redire dicunt, altiùs forsan, quam quis existimare possit, loquuntur. Verùm de his fusiùs in Theologia Platonica. Sed apponamus fabulosam opinionem Cabalistarum circa natorum fatum, prorsus Ægyptiacis placitis consentientem.

Decem fontes Cabalistarum.

Impius error Cabalistarum

Alius Cabalistarum error impius ac vasanus, si ad litera n. intelligatur.

Astronomi itaque Cabalici dum hunc Saturninum, illum Martium, alios verò Ionios, Solares, Venereos, Mercuriales, & Lunares decernunt, nihil aliud intelligunt, quàm occultam quandam proportionem, quam diuersæ hominum complexiones, inclinationes, moresque, non tantùm ad materiam variè dispositam, & ad planetas proportionatam obtinent, sed & vlteriorem analogiam, quam ad Intelligentias correspondentium sphœrarum præsides, & tandem ad supramundanas diuinitatis rotas habent, indicant. Verùm vt ridicula placita luculentiùs patefiant, exemplis mentem eorum exponam clariùs. Si materia, aiunt, alicuius nati ad formam introducendam dispositionem habuerit analogam siue conformem planetæ illo tempore dominanti, v. g. si Saturnus materiæ dispositæ in vtero matris dominatus fuerit; Deus per *Geburah* Saturnum archetypum supramundanum, Saturno sidereo correspondentem animam infundet, *Geburæ* proprietatibus imbutam, eique ex eodem Angelico *Geburæ* Choro Intelligentiam iunget eius directricem: cuius ductui si natus obsecundauerit, & proprietatibus *Geburæ* vitam conformem duxerit; dicunt natum plenum Intelligentia, & rerum reconditarum altissimarumque contemplationi deditum futurum. Quòd si à ductu Intelligentiæ eidem à Deo diuinitùs deputatæ recesserit; eum sinistris eiusdem *Geburæ* Genijs traditum iri volunt, vnde magna eum mala Saturni propria, veluti in externis bonis pessima in officio Saturno appropriato fortuna, in corporis bonis morbi Saturni proprij, vt est, Mania, stupor mentis, hypochondriaca, & similia mala eum inuenient. Pari ratione si nati materia cum Ioue symbolizauerit, Deus per *Gedulam* Sephiram, hoc est, per Iouem archetypum vltramundanum sidereo Ioui analogum animam infundet, *Gedulæ* proprietatibus & materiæ dispositæ congruam, cui & ex eodem Choro *Gedulæ* Angelico custodem assignabit, qui & ipse occultâ quâdam sympathiâ ad nati inclinationem condescendens in omnibus eius naturæ proprijs diriget: quem si audierit; regio quidem animo, & magnificentia summa iuncta sapientiæ, cuiusmodi Salomon fuit, præditus erit: quòd si plantam truncauerit, & à directione boni Angeli recesserit; in manus tradetur sinistrarum eiusdem *Gedulæ* potestatum; vnde in omnibus operibus infaustam habebit sortem, regnum eius extirpabitur, subditis in rebellionem procliuibus iugum excutientibus; quemadmodum Sauli, Balthasari, Nabuchodonosoro contigisse sacra narrat historia; in corporis bonis infirmitates patietur Ioui appropriatas. Iterum si nati disposita materia dominatorem habuerit Martem, Deus per *Netsah*, id est, victoriæ Sephiram, vel quod idem est, per *Netsah* Martem archetypum seu supramundanum animam infundet, proprietatibus *Netsah* in omnibus, vti

Cabalistarum fabulosa opinio de natorum fato.

vti & sidereo Marti symbolizantem, eique ex eiusdem *Netsah* Choro Angelico ductricem associabit Intelligentiam, cuius doctrinam si natus secutus fuerit, iuxta inclinationem suam Martiam potens erit opere, & egregijs perpetrandis facinoribus aptissimus, cuiusmodi Alexander Magnus fuit, & ex sacris Heroibus Iudas Machabæus, alijque similes: quòd si ductum Intelligentiæ suæ neglexerit, subijcietur inimicis suis, debellatus, cum iactura omnium quæ acquisiuerat, in sinistrorum eiusdem *Gedulæ* Geniorum potestatem traditus; in corpore verò suo febres ardentes, & bilosos morbos experietur, ac tandem phtisi consumetur. Rursus si Embrionis materiæ Sol dominatus fuerit, Deus per *Tiphereth*, id est, per Solem archetypum seu vltramundanum animam ei infundet, τῷ *Tiphereth* attributis in omnibus correspondentem; eique Intelligentia Solaris attribuetur, cuius ductum si secutus fuerit, iuxta inclinationem suam, animam habebit illustrem, pulcherrimis donis præditam, ad alta quælibet aspirantem, diuinarum rerum contemplationem perpetuò cum summo dignitatis Ecclesiasticæ gradu coniunctam adipiscetur. Sicuti enim *Tiphereth* Thronus diuinæ pulchritudinis est, in medio systematis Sephirotici collocata, ab omnibus cœteris dimensionibus ex æquo, omnibus in eam canalibus diuinorum influxuum deriuatis, participans; præterea cùm nomine Dei tetragrammato, & duodecim eiusdem Nominis reuolutionibus, quas *Hauioth* vocant, duodecim signis Zodiaci ἀναλόγως correspondentibus, insigniatur; omnia consequenter, vt aiunt, bona in eam deriuabuntur. Sic pari passu nati anima per *Tiphereth* traducta omnibus bonis donisque, vti Cabalici asserunt, tùm gratiæ, tùm naturæ replebitur, si se Intelligentiæ suæ, hoc est, Solaris Genij ductui permiserit; si verò ab eo recesserit, plantamq; truncauerit, canalis pulchritudinis obturabitur, dabiturq; contrariæ virtutis potestatibus, Agathangelis oppositis; vnde malis, quæ solaribus appropriata sunt, subdetur. Pari pacto si Embrioni Venus dominata fuerit, Deus per *Hod*, id est, decorem, siue quod idem est, per Venerem archetypam seu vltramundanam, animam traductam corpori infundet Venereo, cui & Angelum ex Choro eiusdem Sephiræ attribuet; cuius ductionem si secutus fuerit, bonis Veneri proprijs replebitur, decore & pulchritudine corporis, gratia & fauore Magnatum potietur; si ab ea deflexerit, brutis concupiscentijs, & carnalium appetituum cœno immersus miseram & laboriosam vitam trahet; ac morbis Veneri proprijs à sinistris *Hod* potestatibus tandem conficietur. Rursus si Embrio dominatorem nactus fuerit Mercurium, Deus per *Iesod*, id est, Mercurium archetypum traductam animam infundet corpori, eique ex *Iesod* Angelico Choro Intelligentiam attribuet, Mercurio vndequaque correspondentem; cuius ductum si secutus fuerit homo Mercurialis, sapientiâ, cœterisque intellectualibus donis homini sapienti proprijs ditabitur; cùm enim *Iesod* in media systematis Sephirotici linea recta posita sit, rectum quoque à summa Corona & *Tiphereth* influxum nanciscetur, à cœteris obliquũ; cuius sigillum cùm *Elchai*, id est, Deus viuus sit, aquis sapientiæ veluti flumine quodam replebitur, & ad quæcunque voluerit inuenienda huma-

humano generi necessaria aptabitur; si verò à bono ductore recesserit, malignis *Iesod* virtutibus dabitur, vnde magicis artibus, & dæmoniacis præstigijs deditus, omnia Dei opera destruet, canales diuinorum influxuum obturabit, atque ob maleficia opera dæmonum peracta tandem igni traditus, cum ijsdem in æterni supplicij barathrum præcipitatus commorabitur. Demum si Embrioni dominata fuerit Luna, Deus per *Malcuth*, id est, Lunam archetypam animam traductam corpori infundet, eique Lunarem Genium assignabit; cuius ductum si sequatur, veluti in speculo quodam omnia tùm in reliquis Sephiroth, tùm potissimùm in Sole elucescentia dona exhibebit, eritque totius naturæ inferioris consultus, subterranei Mundi diuitias, metallorum venas scrutabitur, & de potentia in actum per Chimicam artem educet, herbarum, lapidum, animalium vires cognoscet, vnde in summum Physicum, Medicum, Chimicum Spagyricum, Architectum euadet; si à ductu Intelligentiæ deflexerit, contrariam in omnibus sortem experietur, à subterraneis elementaribusque dæmonibus multipliciter illusus, & infatuatus.

Atque hæc sunt secretioris Astrologiæ fundamenta Cabalicis vsurpata, in quibus à nostris Astrologis in hoc differunt, quod fata hominum, non tam naturalibus Astrorum influxibus, quàm supernarum Intelligentiarum directionibus, fieri putent; quod dogma & Ægyptij, vt in Astrologia eorum suo loco videbitur, tenuerunt. Habes itaque Cabalisticum systematis Sephirotici mysterium Astrologiæ, iuxta opinionem Cabalæorum, applicatum; ex quibus tanquam consectarijs deducere solent, vnde tùm bona, tùm mala sors hominibus proueniat; & cur homines subinde tantis talentis instructi, miserijs tamen subditi, vix emergere possint; hinc quoque deducunt, varias Mundi reuolutiones, catastrophas, & regnorum imperiorumque metamorphoses. Quorum mentem antequam interpreter, Notandum, legem scriptam à Moyse Mundo iussu Dei promulgatam, legi diuinæ perfectissimè analogam esse, vt quantò quis eam perfectiùs seruauerit, tantò is legi diuinæ, adeoque ipsi Deo similior euasurus sit; atque adeo omnes Sephiroticos canales decem diuinis nominibus insignitos habebit apertos, Intelligentiasque singulis assignatas propitias; vnde totius felicitatis humanæ summa dependet. Quòd si diuinam legem neglexerit, tunc canales præceptorum quæ præuaricatus fuerit, obturabuntur, plantæ Sephiroticæ truncabuntur, ac consequenter homo omnibus diuinis influxibus, Angelicâque assistentiâ vacuus spoliatusque remanebit. Cùm itaque peccata nominum, & potissimùm Regum, Principum, Magnatumque enormia delicta abundauerint, tunc claudentur canales *Gedulæ* siue *Chesed*, ita vt Intelligentiæ eorum Præsides influere non possint: atque adeo recedentibus Imperiorum, Regnorum, Principatuum, Rerumpubl. Vrbium Præsidibus Angelis, eædem dabuntur in sinistrarum *Geburæ* Principum potestatem; vnde omnia mala Mundo inundabunt, Imperiorum mutationes, Regnorum extirpationes, Ciuitatum euersiones, bellorum tumultibus omnia in vastitatem redigentur; Saturnus enim archetypus per Angelicum, & hic per sidereum

Lex Mosaica legi diuinæ analoga.

reum Mundum peſtiferam luem immittet; Iuppiter vigorem Regum ſtolidis immiſſis conſilijs obtundet; Mars inimicus omnia flammâ & ferro conſumet; Sol hoſtilibus influxibus annonæ caritatem, rerumque neceſſariarum penuriam efficiet; Venus omnem pulchritudinis ordinem confundet; Mercurius ſuſque deque omnia vertet; Luna maligni aëris impreſsi influxibus morbos epidemicos immittet, quibus magna pars hominum internecioni dabitur, atque adeo totus Orbis terrarum pugnabit contra inſenſatos; donec diuina pietas per pœnitentiam & legis obſeruationem mitigata, canales miſericordiæ ſuæ cum Angelorum reconciliatione denique aperiat. Hinc Cabalici, vt natus quiſpiam non ſiniſtram, ſed felicem ſortem obtineat, eum ſibi Angelum potiſsimùm ſummo ſtudio colendum propitiandumque eligunt, cuius naturæ ſe eſſe arbitrantur, & per cuius Sephiram ſe traductos conijciunt. Sic Saturninæ naturæ homines Schabtaël *Geburæ* Saturni archetypi Intelligentiam aſsiſtentem potiſsimùm placant, cui & ſeptimam feriam dedicarunt, vtpote eius cultui dedicatam. Iouiæ naturæ homines Tſadkiel potiſsimùm colunt, tanquam naturæ eorum *Σύμβολον*, cui & ſextam feriam dedicant; Martij Chamaël; Solares Schemſchiel; Venerei Hanaël; Mercuriales Cocabiel; Lunares Leuanaël potiſsimùm venerantur, vnuſquiſque eam intelligentiam, quæ naturæ eorum congruit, & Sephiræ illius, per quam animæ eorum traductæ putantur, cuſtos eſt. Deinde ad maiores ſuperſtitiones lapſi, ſummo ſtudio ſeptuaginta duo Angelorum nomina, quæ in præcedentibus expoſuimus, expendunt, vt ſi quod nomen Angelicum naturæ eorum congruum & proportionatum inueniant, illud ſeorſim membranæ inſcriptum amuleti loco dicti Angeli propitiandi cauſa portent; quibus addunt appropriatum nomini Pſalmum, quem quotidie in eum finem recitant, vti in eo libello, quem שמוש תחילים, *vſum Pſalmorum* vocant, videre eſt, & nos ſuo loco & tempore fuſiùs oſtendemus. Hinc ſeptem ſigilla planetarum hoc ordine ponunt, vt in ijs primò ponant vnum ex ſeptem nominibus, quibus quadraginta literarum nomen conſtat; de quo vide ſuprà §. de 42 literarum nomine fusè citatum. Hoc pacto ſigillo Saturni imponunt primum nomen ex quadraginta duabus literis, & eſt אבגיתץ, vnà cum oculo dextro, cui ſupponunt Raphaël. Secundum ſigillum Iouis ſecundo nomini de 42 literis apponunt, id eſt, קדעשטו, cui attribuunt oculum ſiniſtrum, & pacem hominibus id geſtantibus promittunt, per Gabriëlem Angelum; & ſic de cœteris ordine ſigillis iudica, vt figura docet:

Cabalici quos Angelos colant vt bona vtantur fortuna.

Portentoſa Angelorum nomina à Cabaliſtis confiſta.

Cabaliſtarum ſuperſtitio in colendis Angelis.

Habent autem ſingula ſigilla ſuam Sephiram, cuius ope vim acquirant. Promittunt autem per primum ſigillum vitam longam; per ſecundum pacem; per tertium ſapientiam; per quartum gratiam & pulchritudinem; per quintum diuitias; per ſextum ſeminis fœcundam propagationem; per ſeptimum dominij poteſtatem, idq; per Angelos ijſdem ſubiectos. Sed & hæ res ita malè ſibi cohærent, vt nihil ferè ibi lateat, niſi ſuperſtitionum ſeminarium; vnde Chriſtiani ab his tanquam Diabolicis illuſionibus expoſitis caueant velim. Porrò hiſce addunt ſigilla duodecim

Confutatio.

cim ſignorum Zodiaci, in quibus vaniſſimâ obſeruantiâ ponunt Nomina Dei יהוה, שדי, אדני, צבאות iuxta combinationis & tranſpoſitionis varias leges, variè tranſmutata; in quibus quot literæ, tot ſuperſtitiones; quot nomina, tot vanitates. Nato ſiquidem ſub ſigno v. g. Capricorni portanti ſigillum primum, eam gratiam promittunt, quam Angelus ſigni præſes ſuo nomine exprimit; & ſic de cœteris; quæ vti indigna ſunt, quæ vſurpentur, ſic operæ pretium non duxi, ijs diutiùs inhærerere. Nè tamen quicquam arcanorum omiſiſſe videamur, hìc figuram ſigillorum ad cautelam Lectoris apponendam duxi, vt ſi quando in manus eius huiuſmodi inciderint (paſſim enim à ſuperſtitioſis hominibus portantur) è cuius officina prodiêrint, diſcernere poſſit. vide Iconiſm. f. 287. 1 & 2 fig.

Sed antequam Aſtrologiam Cabalicam elaudamus, hoc loco teſtem adducam, omnia quæ huc vſque dicta ſunt confirmantem, antiquiſsimum Codicem manuſcriptum, Chaldaico ſtylo exaratum, cuius Authorem ante deſtructionem templi 300 annis vixiſſe putant, quem & Iochaides vetuſtiſsimus Author in ſuo Zohar ſæpiùs allegat, & in Bibliotheca Vaticana in hunc vſque diem conſeruatur; cuius verba ſunt:

Iochaides Author libri Chaldaici antiquiſsimi.

כל מלאכא כפום שמיה אית ליה קרא באוריתא כתביאל" על שם המכתב אלהים :
וגו" שמות ל"ב זכריאל על שם זוכר ברית אבות ונקרא זכרנו לחיים ואתכפיא בזכור
שמריאל בשמור חסדיאל * גבריאל בגבורה צדקיאל בצדק רפאל כתפארת מלכיאל * בחסד
במלכות ליה מלאכא דליה ליה עקרא ויסודא בספירן וכל ספירה אית לה שם ידיע
והויה ידיע וכל שמהן חמן אית לחון עקרא ויסודא וחאי כללא נקוט ביריך דכל ממנן
דלעילשמהן דלחון תלין בספירן ושמהתהון כל חד אית ליהקרא על שם שמא דיליה וכל
מלאכיא דסומיהון סוסי אשא ומרכבותיהון אשא וקשתותיהון אשא ורומהיהון אשא
וכל מאני קרבא דלהון אשא יסודיהון בגבורה ומלאכי חבלה דאינון אשא יסודא דלהון
בגיהנם ואית מלאכיא דאחמר בחון עושה מלאכיו רוחות : החילי' ק"מ"ח יסודא דלהון
בעמודא דאמצעיתא : ואית מלאכיא דאינון ממיא דרקיעא מלאכא וליה דלא אשתכח
בחון שמא דיהוה דאשתכח בכל אבר ואבר ובגין דא אית לבר נשל אמלכא יהוה בכל
ספירן ובכל כרסון ובכל מלאכין ובכל אבר ואבר דבר נש דליה אחר פנוי מניה לא
בעלאין ולא בתתאין: חסדיאל אתקריא בזמנא דעביד חסד עם עולמא: גבריאל
בזמנא דעביד גבורה בעלמא סתוריאל בזמנא דסחיר בני עולמא בגדפיו מלאכין
מלאכי חבלה ה"ח" וחחת כנפיו תחמה צנחן החילי צ"א' ואתקרי מחחיאל בזמנא
דהתים זכורן וחובין כחביאל בזמנא דכתב חובין וזכורן: כל מלאכיא כפום שלחוחיה
אשתני שמיה :

Id eſt, *Vnicuiq; Angelo eſt verſus in lege, qui correſpondet nomini eius; Ketabiel, iuxta illud Exodi 32, & ſcriptura, ſcriptura ipſa Dei; Zachariel, iuxta illud: Recordaris fœderis parentum* (legitur quoque, *Recordare noſtrorum in vitas*) *& veſtit ſe in nomine Zachur, id eſt, recordare; Schamriel, & veſtit ſe nomine Schemor, id eſt, cuſtodi; Chaſdiel, & veſtit ſe nomine Cheſed, id eſt, miſericordia; & Gabriel, qui ſe veſtit nomine Tſedek, id eſt, iuſtitiæ: Raphaël verò ſe veſtit nomine Tiphereth; & Malkiel nomine Malcuth, id eſt, regno. Nullus deniq; eſt Angelus, cui non ſit radix & fundamentum in numerationibus, & numeratio quælibet habet proprium nomen, & propriam eſſentiam, & omnia illorum nomina habent ibi in illis,* (ſcilicet numerationibus) *ſuas radices ac fundamentum. Et hic ſit immobilis Canon in manu tua, quòd omnia Præfectorum*

Portentoſa Angelorum nomina.

rum superiorum nomina pendeant à numerationibus; & quodlibet eorum nomen habet versum nomini correspondentem; & omnes Angeli, quorum equi, equi ignei, & quorum currus ignei, & quorum arcus ignei, & quorum lanceæ igneæ, quorumue omnia instrumenta bellica ignea, fundamenta eorum in fortitudine seueritatis numeratione. Angeli verò perditionis, qui itidem ex igne, fundamentum eorum in gehenna. Sunt & Angeli, de quibus dicitur Psalmo 104. Faciens Angelos suos Spiritus, fundamenta illorum in columna media, id est, in Sephira fortitudinis. Sunt & Angeli, qui ex aquis expansi, de quibus dicitur Psal. 148. Et aquæ, quæ super cœlos sunt; & hi sunt ex proprietate dextræ, id est, misericordiæ, horum omnium radices in superis sunt. Et nullus Angelorum est, in quo non inueniatur nomen יהוה, *quod vbique inuenitur in omnibus & singulis membris. Est etiam præterea homini regnum seu imperium Dei in omnibus numerationibus; & in omnibus Thronis, & in omnibus Angelis; & ita in singulis membris filius hominis, qui regnum & imperium diuinum omnium superiorum in membris suis* (quæ 248 præceptis affirmatiuis, & 365 negatiuis ideo respondent) *circumfert, & quasi imaginem Altissimi, hoc est, proprietates eius repræsentat, ita vt non sit locus vacuus ab eo, nec in superioribus, nec in inferioribus. Porrò Chasdiel tunc temporis nomen sortitur, quando Chesed, id est, misericordiam cum Mundo exercet; Gabriel tunc, quando Geburah, id est, fortitudinem seu seueritatem exercet; Seturiel tunc, quando filios huius Mundi sub alis suis ab Angelis perditionis abscondit; & hoc est quod scriptura dicit Psal 91. Et sub alis eius tutus eris, clypeus &c. Chetamiel tunc vocatur, quando obsignat merita & peccata; Ketabiel tunc, quando scribit peccata & merita. Demo vniuscuiusque Angeli nomen iuxta legationem suam immutatur.* Atq; hæc de Cabala Astrologica sufficiant.

§ III.

De Cabala Bereschit, siue Naturæ, vel de rerum naturalium characterismis per veram & legitimam Cabalam cognoscendis.

CONsiderantes primi Hebræorum Mystæ admirabilem rerum in hoc mundano complexu ordinem, & continuam quandam inferiorum cum medijs & supremis concatenationem, fieri non posse sibi persuaserunt, vt totus ille rerum ordo tot Classibus distinctus, tot virtutibus & qualitatibus ornatus, suam non haberet eamque maximam in hac mundana œconomia vtilitatem, & finem. Cùm itaque ex sacra lege discerent, omnia propter hominem Mundi filium & microcosmum condita esse, ad eumq; conseruandum Deum non Angelos solùm in custodiam attribuisse, sed & per Angelos siderum præsides influxus supernorum in inferiora ita mirâ ratione disposuisse, vt inde Mundus inferior, cuius incola homo futurus esset, mirâ rerum varietate, & occultis virtutum seminarijs, hominis membris analogis instrueretur, quibus homo tot infirmitatibus obnoxius

noxius in sui conseruationem vteretur; hinc dicunt Cabalici:

אין לך עשב ועשב למטה שאין לא מול ברקיע שמכה אותו ואומר לו גדל:

Cabalistarum dictum de analogia superiorum cũ inferioribus.

Non est tibi vlla herba inferiùs, quæ non habet planetam in expanso illo sidereo qui fulciat eam, dicatq; ei, crescе. Quænam verò herba, quinam lapis, quodnam animal, ad quod sidus, ad quem Angelum præsidem, analogiam dicat, quam virtutem eis supernæ plantæ attribuerint, hic Rhodus, hic saltus. Hinc multi putauerunt, in prima nominum ab Adamo facta impositione, singularum rerum in Mundo existentium nomina ita diuino consilio constituta fuisse, vt vniuscuiusque rei, quam significarent, essentiam, virtutes, ac proprietates exprimerent. Verùm cùm non nisi pauca nomina Hebræa, vti in secunda Classe ostendimus, supersint, quæ huiusmodi virtutes demonstrent, meritò ex hoc capite scientia rerum naturalium hucusque manca permansit & mutila. Fuerunt postea qui assererent, primos Patriarchas tùm perpetuâ Angelorum assistentiâ, tùm diuturnæ vitæ experientiâ, hanc rerum naturalium Cabalam plenè accepisse; quam tamen non scriptis, sed successiuâ traditione posteris commendatam reliquerint; de qua ita R. Hamai:

Cabala naturalis creditur ab Angelis tradita primis Mundi Patriarchis; & ab his, posteris.

R. Hamai.

קבלנו מרבותינו זכרונם לברכה שה קבלה מעשה בראשית היא הכמת הטבע כמו שמעשה מרכבה היא חכמת אלהים והכמות הטבע קבלוה אבותינו הקדמונים מהמלאכים שהם למדום מני הכמות מבעיות:

Accepimus à Rabbinis bonæ memoriæ, quòd Kabala opus fabricæ ipsa est scientia naturæ, sicut opus quadrigæ est scientia diuinitatis; scientiam naturæ acceperunt Patres nostri antiqui ab Angelis, qui eos docuerunt signa sigillorum naturæ. Quæ omnia Iochaides in Zohar, & Ietsiræ commentatores ferè omnes suis calculis comprobant. In signis itaque seu characteribus singulis Dei operibus diuina virtute impressis consistit, quos qui legere & intelligere nôrit, eum nihil ampliùs reconditarum rerum latere posse arbitrantur. Hosce verò characteres aiunt addisci non posse nisi per omnimodam Sephiroticorum arcanorum notitiam. Hinc decem diuina nomina seu Sephiroth nihil aliud esse dicunt, quàm sigilla quædam, quibus primò Angelicum Mundũ insigniuit Deus, deinde hisce ijsdem per Angelos Mundum sidereũ & astra, & deinde elementarium rerum virtutes, & tandem singula hominis membra diuinis nominibus appropriata. ita Botrillus in Ietsirah, quem suprà citauimus. Cùm itaq; in hominem tanquã in finem omnia dirigantur, certè ad eius conseruationem omnia conspirare necesse erat; cùm homo quoq;, cœteraq; propter eum facta supernis lationibus subsistent, certè superna corpora in inferiora similitudine quadam sibi correspondentia simili ratione agent; Angeli quoq; singulis supernis corporibus assistentes, inclinationem naturalem habebunt, ad Classes analogas suæ fidei & tutelæ commissas summâ curâ dirigendas conseruandasque, & illi virtutes rerum in eum finem, in quem conditi sunt, potissimùm promouebunt.

Iochaides. Commentatores Ietsiræ.

Cabala naturalis consistit in characteribus rebus singulis à Deo impressis.

Botrillus.

Hinc

Triplicem hominem Cabalici fingunt decem præcipuis membris constantem.

Hinc triplicem sibi hominem Cabalici, vnumquemque denis membris secundùm requisitionem naturæ suæ constitutum confinxerunt. Et tametsi in archetypo & intellectuali Mundo nullum membrum sit sensibile aut corporeum, est tamen ijs fundamentum quoddam, quod decem tùm megacosmi, tùm microcosmi membris secundùm analogiam quandam respondeat. Hinc caput seu cerebrum occultâ quâdam analogiâ in Mundo sidereo empyreum Intelligentijs refertum, & in Mundo archetypo numerationum *Kether*; Os verò designat in eodem sapientiam, iuxta illud: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*; In Mundo verò Sidereo primum mobile, quia Sapientia siue Verbum Dei causa omnis motus & vitæ; Lingua denotat in supremo Mundo *Binah*, & in Mundo sensibili firmamentum, quia quemadmodum lingua interiora omnia explicat, sic Deus per firmamentum ideis refertum ornatum mundanum; Splen respondet *Gedulæ*, & in Mundo sidereo Saturno; Hepar *Geburæ* & Ioui; Stomachus culina microcosmi *Netsah*, & Marti; Cor *Tiphereth*, & Soli; Renes *Hod*, & Veneri; Pulmo *Iesod*, & Mercurio; Spermatica denique *Malcuth*, & Lunæ aptissimè respondent.

Analogia decem membrorum hominis ad Archetypum & Sidereum Mundum.

כתר	Caput, Cerebrum	Cœlum empyreum
חכמה	Os	Primum mobile
בינה	Lingua	Firmamentum
גדולה	Splen	Saturnus
גבורה	Hepar	Iuppiter
תפארת	Cor	Sol
נצח	Stomachus	Mars
הוד	Renes	Venus
יסוד	Pulmo	Mercurius
מלכות	Genitalia	Luna

Hoc pacto Mundani Opificis ratio ex centro, in quo omnia vnum sunt, in Orbem euoluit vniuersas Mundanæ machinæ species in disparatissima membra, quorum singula ad alia & alia suos habent occultos consensus cum elementis & globis cœlestibus, Angelisque eorum præsidibus; quæ omnia cùm in hominis conseruationem colliment, necessariò singula occultas quasdam virtutes in microcosmi membrorum conseruationem aptas deuehent; quas vt cognoscere posses, characterem singula portabunt, omnipotentis Dei nomine eisdem impressum, quo, quid intrinsecè significent, externo phytoptico sigillo demonstrent; quæ quidem virtutes nihil aliud sunt, quàm Stellæ quædam seu formæ Stellis cœlestibus vnde-

quaque correspondentia, quarum occultam connexionem quicunque nôrit, eum in secretiori medicina mira patraturum nihil dubitant. Omnia astra cœlestia quę in cœlo patent, etiã in terra spiritibus suis occultè clausa latent; & sicuti Sol cœlestis calore suo inuisibili generat omnia in terrestri Mundo, ita Sol terrestris suo calore inuisibili creat & regenerat omnia inuisibiliter; per Solem cœlestem *Tiphereth* Spiritus Domini operatur omnia, sed ratione inuisibili. Et quemadmodum Sol supernus inuisibili virtute suâ omnibus inest quàm intimè, vtpote calor naturalis rerum omnium; ita & Sol terrenus virtute suâ inuisibili omnibus inest, vtpote rerum omnium calor natiuus, rerum balsamum, lychnus & oleum; ille spiritus vitæ in omnibus rebus abditus vocatur, hic sulphur naturæ suo proprio & genuino nomine in omnibus rebus inexistens appellatur: sunt enim superiora in inferioribus, & hæc in illis, iuxta illud:

כל התחתונים הם מנגדים לעליונים וכפי עשית למטה כן נעשה למעלה:

Superiora sunt in inferioribus.

Omnes res inferiores sunt repræsentantiuæ superiorum, & vti inferiùs, sic & agitur superiùs. Infima ergo monstrant superna, corporalia intellectualia, per terrestrium & inferiorum naturas & proprietates in naturas & proprietates supernorum ascendimus, iuxta illud: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; sunt enim externa corporea & sensibilia, supernorum notæ, ac inuisibilium internorum symbola, quibus ad supernorum cognitionem manuducamur. Tota creatura Dei nihil aliud est quàm vmbra Dei, & figura interni paradisi, ille videlicet intuitus, quo creationis posteriora & effectus cognoscimus. Hinc tradunt Cabalici, quòd in tabulis Mosaicis fuit digito Dei inscripta lex igne nigro supra dorsum ignis candidi.

Libro אבקת רוכל pulvis pigmentarij.

הלוחות היו אש שחורה על גבי אש לבנה:

Per ignem candidum denotatur vis interna rerum creatrix, per ignem nigrum creata signantur, quæ quidem legi minimè possent, nisi corporeis, quæ per nigrum ignem indicantur, notis conspicerentur. Cùm itaq; tres decades membrorum Mundi, microcosmi, megacosmi, & angelocosmi, vti suprà dictum fuit, decem diuinis nominibus seu Sephiroth, quibus signata sunt, exactè respondeant; hinc Cabalistæ argumentantur, quòd omnia illa, quæ exteriori figura vnum ex dictis membris referunt, Deus Optimus Maximus, ad istiusmodi membri curam & conseruationem, quod referunt, per applicationem corporearum ad res corporeas, creasse videatur. Quoniam verò corporea internarum inuisibiliumque facultatum signa sunt; dicunt quòd mens humana, quæ in cerebro thronum suum posuit, per analogam applicationem diuinorum nominum angelicorumque, hoc est, per certos & appropriatos in sacris literis fundatos textus ad consortium Dei Angelorumque, dummodo animi indispositio non obstet, pertingere possit; cùm enim occultus quidam inuisibilium membrorum ad inuisibilia connexus sit, legis diuinæ, æternæ, & immutabilis ratio postulare videtur, vt ad dicta ratione peractam spiritualem applica-

Analogia inter res superiores & inferiores.

plicationem, Diuinus Angelicusque influxus ad id, quod petitur obtinendum, necessariò adsit. Cùm verò res externæ & corporeæ membrum aliquod hominis externum v. g. caput aut cerebrum referentes, occultam cum spiritualibus proportionem & harmoniam habeant, membrum aliquod per applicationem rerum ei conuenientium pari ratione medicum effectum vt obtineat, necesse est. Hoc pacto per oris analogas rationes חכמה, Verbum Dei seu Sapientia; per linguæ analoga symbola בינה, Spiritus; per lienis analogas notas Saturnus supramundanus *Gebura*; per hepatis occultam proportionem Iuppiter *Gedula*; per cordis abditas proportiones Sol archetypus *Tiphereth*; per cordis signa Mars *Netsah*; per renum correlationes *Hod* Venus supramundana; per pulmonis latentes consensus *Iesod* Mercurius; per genitalium denique analogiam Luna illa archetypa *Malcuth*, attrahentur. Non secùs ac corporeæ plantæ ad id membrum, quod figura sua exprimunt, sanandum, abditâ quâdam harmoniâ concurrunt. Atque hæc est vera illa Cabala naturalis, quam antiqui successiuâ quâdam traditione posteris colendam reliquerunt; quam à primis Patriarchis Ægyptij, ab Ægyptijs Græci, & ab his tota reliqua posteritas, summâ tamen symbolorum obscuritate inuolutam acceperunt; quam cùm in tractatu de occultis naturæ characterismis ex professo & quàm fusissimè secundùm omnes regulas & præceptiones exponamus; eò Lectorem remittimus. Ex hisce siquidem paucis, quisquis acumine ingenij pollet, facilè in quo naturalis Hebræorum Cabala consistat, perspiciet.

§ IV.

De Magia Cabalistica, Aegyptiaca, Pythagorica, vniusque ad alteram comparatione.

Cabala Magica quid sit.

CAbala Magica, seu Magia Cabalistica, nihil aliud est, quàm ars à posterioribus Rabbinis introducta, varijs superstitionibus implicata, quâ per certa malignorum spirituum nomina, veriùs dæmonum inuocationes & adiurationes, ensalmosque, mira sibi, & prodigiosos in omni genere rerum effectus falsò promittunt. Est autem Cabala Pythagorica (tametsi à modernis maleferiatorum hominum Magicis Scholis, Pythagoræ perperam adscripta) qua ex numeris in nomine alicuius contentis totius vitæ cursum, prosperam, iniquamque fortunam se deprehendere, stolidè sibi imaginantur. Vtramque Cabalam in Classe Magiæ exponentes, vanitates inauditas, quibus se cœca hominum pectora immergant, timoratis in cautelam & circumspectionem, temerarijs verò in resipiscentiam recensebimus. Porrò quæcunque hucusque de Cabala dicta sunt, ita Ægyptiacæ Cabalæ quadrant, vt num hi ab ipsis, aut ipsi ab his acceperint, dispici vix possit. Quicquid enim Hebræi per nomina numerosque in sua Cabala demonstrant & significant, hoc idem parallellâ quâdam ratione

Cabala Pythagorica quid?

Cabala Hebræorum Cabalæ Ægyptiorum parallela.

tione Ægyptij per figuras symbolicas exprimunt; atque adeo per diuersa media in vnum & eundem finem collimant; quæ est cognitio Dei & naturæ, quâ imbuti Θεοπνευσίαν καὶ θεομόρφωσιν diuini Numinis aspirantis ductu adepti, atque in Deum transformati admirandorum operum patratores se euasuros certò certiùs sibi persuadent. Verùm hæc omnia suis locis fusiùs prosequemur.

Conclusio contra Cabalam.

ATque hæc est Cabala illa ab Hebræis tanta verborum iactantia commendata, à plebæis hominibus tantopere expetita; quæ tamen, si pauca excipias, meritò totius iniquitatis officina censeri debet ab omnibus ijs, qui similia rectæ rationis trutina ponderare solent. Et tametsi nihil in ea occurrat, quod demonstratiuis rationibus innitatur, ac propriè dictæ scientiæ rationem tueatur; Hebræi tamen vniuersam philosophiam diuinam & humanam, nec non naturalem, omniumque doctrinam sub mysticis ac symbolicis verborum numerorumq; inuolucris absconditam continere volunt, non rationibus disputationibusque, aut ratiocinijs humanis, sed συμβολικῶς pertractatam. Itaque in ea singulas literas, figuras, nomina, elementa, apices, lineas, puncta, accentus, spiritus, & quidquid est minutiùs, profundissimam quandam & abditissimam ingentium rerum significatricem doctrinam continere falsò sibi persuadent; quam qui probè calluerit, cum nihil latere aiunt, omnia scire & præscire, naturæ imperare, cunctasque res ei obedire; quòd in ipsis tamen minimè verificari videmus, cùm ignariùs ignauiùsque hominum genus Hebræis non nôrim. Hac inquiunt Mosen prodigia illa in Ægypto & in deserto fecisse; hac Iosue, Eliam, Helisæum, Isaiam, Ieremiam, Danielem, Samuelem, tot tantaq; exhibuisse miracula; hac potissimùm ratione persuasi, quòd nomina, quæ Deus per Adamum cunctis rebus iuxta suas cuiusque rei proprietates imposuit, fuerint Hebraica, quibus rerum omnium substantiæ, qualitates, ac proprietates exprimantur; quocirca hisce nominibus naturales res compellanti, confestim res omnes ex primæuæ impositionis vigore, illi sese subijcere, eiusque obsequio se totas addicere superstitiosiùs iactitant. Miror ego sanè, qui & quâ ratione tandem fieri possit, vt sanæ mentis homines, tam insana & fanatica deliramenta aut acceptare, aut approbare vnquam potuerint. Quis enim vllus eorum, qui iudicio pollent, in animum suum inducat, vt credat, Solem, Lunam, astra, elementa, stirpes, cùm ratione careant, diuinam illam vim in verbis se prodentem, aut sentire, aut affici, permouerique vnquam ad hominum arbitrium potuisse? Sed esto nouerint illam vim vel omnes res naturales, vel certè animantes, aut homines; num ideo eiusmodi nominum appellatione eos continuò moueri necesse est? Si quis mihi huiusmodi nominum portenta obmurmurârit, num ijs compellatus, ideo omni deposito arbitrio, mox eius imperio obsequi, & quæcunque voluerit, peragere cogar? Simplex, ne dicam stolidus, & brutæ mentis homo sit, qui id sibi per-

suadeat. Si reconditissimam illam vim & efficaciam vocum Hebraicarum, quam Cabalici iactitant, paucissimi hominum intelligunt, nec nisi, qui illa eadem multò iam antè probè fuerint imbuti; quomodo eam agnoscent & sentient bruta, cœteraque non ratione modò, sed & sensu carentia? Legimus quidem Mosen mare diuisisse, rupes aperuisse; Iosue Solem stitisse, obediente Deo voci hominis; Eliam & Helisæum mortuos excitasse, ignem cœlo deduxisse; Danielem somnia exposuisse; sed de Cabalico artificio, quo Rabbini eos vsos asserunt, nulla in sacris literis fit mentio. Si ergo tanta Cabalicæ Magiæ vis est & potestas, vt cœlis imperet, maria diuidat, rupes aperiat, mortuos excitet, flumina siccet, verbo totam naturam commutet, & sibi ad placitum nutumque obedire faciat; cur Cabalæi eius artis, vt iactant, peritissimi, talia nunquam patrarunt, aut etiam nunc patrare possunt? Certè si quid moderni Rabbinastri talium callerent, Christianus Orbis nuspiam securus foret. quin ad iugum diuturnæ seruitutis excutiendum, quo miseri iam 1652 annis oppressi tenentur, vti debuissent. Vana itaque & impia sunt omnia Cabalistarum, quæ ex diuinis Angelorumque nominibus confingunt, deliramenta; vana varia illa amuletorum ex ijs composita portenta; vtpote vnicus innumerarum superstitionum fons & origo; vnde non immeritò ab Ecclesia, veluti execranda proscribitur, à sapientibus exploditur, & cum sortilegis artibus connumeratur, eumque inter illas meritò locum habet, quam Magicæ superstitiones, reliquarumque damnatarum artium monumenta. Imò quicunque huiusmodi artibus Reip. Christianæ nimium pernitiosis vtuntur, eos Sacræ Inquisitionis pœnis subiacere tanquam Hæreticos & Magos doctè probant, Pererius, Delrio, de Moura libro de Ensalmis, & tandem fusè monstrat doctissimus Thomas Gastaldus in suis passim de Angelica potestate operibus. Quæ & nos in sequentibus acerrimè confutamus.

CLAS-

CLASSIS V.
DE CABALA SARACENICA ET AGARENA:

SIVE QVOD IDEM EST,

De superstitiosa Arabum, Turcarumque Philosophia hieroglyphica.

ILLVSTRISSIMO ATQVE REVERENDISSIMO DOMINO

FRANCISCO ALBICIO

S. R. Inquisitionis Assessori.

ITEM

Reuerendis atque Doctissimis Patribus S. Theologiæ Magistris, Orientalium Linguarum Professoribus, ac S. D. N. Innocentij X. Interpretibus.

P. PHILIPPO QVADAGNOLO, Ord. Cler. Min. Arabicæ linguæ in Athenæo Romano Professori.
P. F. BARTHOLOMÆO à PETTORANO, } Ord. S. Franc. Theologis, & linguæ
P. F. ANTONIO AQVILANO, } Arabicæ Professoribus.
P. LVDOVICO MARACCIO Cong. Cl. Reg. Matris Dei, Orient. linguar. Censori.
P. IOANNI BAPTISTÆ GIATTINO S. I. Theol. Scholast. in Coll. Rom. Professf.
D. ABRAHAMO ECCHELLENSI Chald. linguæ in Rom. Athenæo Professori, Librorumque Orientalium Censori.

Viris virtute & doctrina illustribus S. P. D. Author.

EXPOSITVRVS arcanam Saracenorum philosophandi rationem, quam Cabalam appellant, certè materiam hanc vti abstrusam & in penitissimis Arabum adytis reconditam, ita paucis hucusq; peruiam, & vix ab vllo, quod sciam, tentatam, nemini meliori iure, quàm Tibi *primò*, Albici Illustrissime, *sapientissimo Congregationis nostræ Arabicæ moderatori;* Vobis *deindè peritissimis Arabicæ linguæ Magistris, dedicandam duxi: ænigmata siquidem, teste Clemente Alexandr. non nisi eorum peritis, ac Viris sapientiâ conspicuis consecrari debere, ex illustri illo Arabum dictatore Locman didicistis:*

العالم عرف الجاهل لانه كان جاهلا والجاهل لا يعرف العالم لانه لا كان عالما

Vos enim in Tabularum Granatensium expositione iam ab octennio ferè haud sine improbo labore ita spartam vestram exornastis, vt veri & genuini Oedipi, omnium opinione, & dici & æstimari mereamini. Hunc itaque Cointerpretis vestri partum, vnicum, & perenne meæ in vos voluntatis testimonium, æqui bonique consulite. Quòd si iudicio vestro quicquam in eo laude dignum occurrerit, id primùm Deo Opt. Max. deindè Magno Cæsari, qui id vt fieret, iussit, & vt fieri posset, munificentiâ Regiâ maiori, laboranti subuenit, acceptum feratis; sin verò nonnihil mancum & mutilum exciderit inopinanti, id ingenij mei imbecillitati adscribatis velim.

CA-